

COLLEGIUM SEPTIMUM
In Augustanae Confessionis
Articulum Decimum,
De
COENA DO-
MINI,
DISPUTATIO II.
Continens *Ἀντίθεσιν*

CALVINIANORUM,
proposita
In Electorali Academia Wittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI
SS. Th. Doct. & Profefs. Publ. Primario, Fa-
cult. Theol. Seniore, & Templi ad Arcem
Præposito,

R E S P O N D E N T E

M. DANIELE HEERBRANDO
Zeithaynâ - Mysô.

In Auditorio Collegii veteris, d. 22. Junii.

oll. diss. A
98, 8

WITTEBERGÆ,

Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDCXXXIV.

10.

~~27~~
28.

Diss. 198(8)

COLLEGIUM SEPTIMUM
In Augustanus Confectionis
Araculum Decimum

COENADO.

MINI
DISPUTATIO II
CALVINIANORUM

In Electoral. Acad. Lipsigensi
P. R. I. D. E.



JACOBO MARTINI
22. Th. Doct. & Prof. Publ. Primario, Pa.
colle. Theol. Seniore & Temp. ad Arcem
& Proposito

RESPONDENTE
M. DANIELLE HERRBRANDO

In Lipsia, die 12. Junii

WITTEBERGA
Ex Officina Typographica JOHANNIS RÖHNERT
ANNO MDCXXXIV.

88



DISPUTATIO II.

CONTINUATIO.

Sequitur nunc secunda hujus articuli
pars *αὐτὴ δευτέρα* reprobationem falsæ do-
ctrinæ habens.

QUESTIO I.

An per *secūs docentes* Sacramentarii
sint notati.

I. Ubi initiō considerandum venit, qui sint, quos Confes-
sores hoc locō *secūs docentes* appellare voluerint. Sacramentarii
hanc clausulam Anabaptistis oppositam esse contendunt. Verūm
fallaciam divisionis committunt. Nam præter Anabaptistas,
ipso etiam Sacramentarios, & quidem præcipuè, atrō hoc cal-
culō fuisse notatos, & temporum historia & actorum series ma-
nifestè docet. Tempore enim istō Sacramentarios fuisse appel-
latos, qui Cinglii castra secuti, præter errores cæteros, præsen-
tiam corporis & sanguinis Dominici in Sacramentō Cœnæ in-
ficiabantur, publicè constat. Et ex Colloquiō Franckenthalensi
Act. 37. liquere potest, Anabaptistas hac in parte eandem cum
Calvinianis sententiam tenere.

II. Et quid opus operosâ probatione, ubi sorices sese suo pte
produnt indiciō? Cur enim primū clausulam hanc (*Et impro-
bant secūs docentes*) sublatam voluerunt? Cur hodieq; eandem
expunctam recisamq; debere contendunt? Certè nullam aliam
ob causam, quàm quòd aculeum ejus in animō & conscientia
suâ persentiscunt. Imò id non possunt non fateri: quando in re-
capitulatione jam allegati colloquii numerō 119. 120. Casselo-
lani in Antiquâ fide Cattorum, quam vocant, hunc articulum
decimum Confess. August. dicunt esse Papisticum, pag. 21. 22.
ideoq; opus fuisse emendatione. Et tamen pag. 24. affirmant, Cal-

Vinum subscripsisse Augustanae Confessioni. De qua ipsius Cal-
vini adscribo verba ex Epistolâ datâ 10. Septembr. Anno 1561.
*Augustana Confessio, ut scis, fax est vestra Furia, ad excitandum in-
cendium, quo conflagret tota Gallia,* pag. 251. Epistolarum Calvinii
Genev: Anno 76.

III. Et sanè isti verè ac congruè *secus docentes* appellantur,
qui de hoc Religionis Christianae capite *secus* docent, quàm in
orthodoxis Ecclesiis doceri consuetum est: Id verò variè &
multipliciter facere Calvinianos ex subsequentibus patefcet.

QUÆSTIO II.

An saltem de Usu Cœnæ Dominicæ docendi sint homi-
nes, prætergressâ quæstione de ejus substantiâ:

Et an quæstio hæc pertineat ad
articulos fidei.

IV. Primùm, pleriq; *Sacramentarii secus docent de modo do-
cendi & tractandi articulum de Sacra Cœnâ.* Ut enim Ecclesiæ ac
simplicioribus insidias struant, svadent homines docendos esse
de usu Cœnæ Dominicæ, prætergressâ & altò silentiò pressâ
quæstione de ejus substantiâ. Secus docet, & sanè rectius Luthe-
rus in cap. postremò τῆς πρῶτης ἐπιτομῆς κατηχητικῆς, & *Schol. marg.*
cap. ii. prioris ad Corinth. Ibi enim quæstionem de substantiâ Cœ-
næ primò explicat, & veram veri corporis & sanguinis Christi
cum elementis externis manducationem ac bibitionem, immo-
ris Christi testatoris verbis munit ac roborat; & deinde huic
fundamento doctrinam de fructu & fine salutari superædificat.
Hic verò totam de Cœnâ Dominicâ doctrinam duobus capitib; 9
constare, ac veluti cardinibus verti alleverat, dum scribit: *Ein-
jeglicher sehe zu/ wie Er glaube in diesen Abendmal / was vnd was u-
Es empfahe.* Lutherus hac in parte secutus est Augustinum, qui
& ipse doctrinam de Eucharistiâ in duo capita partitur, de Ba-
ptism. contra Donatistas lib. 3. c. 14. Item lib. 5. c. 8. & c. *Aliud est
Sacramentum, aliud usus Sacramenti.* Item in Johann. tract. 26.
Quid? quod hic ipse articulus decimus Confessionis Augustanae
tantùm de substantiâ Cœnæ agat, nihil de ejus usu.

V. Fumos itaq; vendunt sive Cingliani, sive Semi-Cinglia-
ni, qui imperitioribus de usu & fructu Cœnæ Dominicæ aureos
polli-

pollicentur montes, dissimulatâ internâ ejus substantiâ: nondum enim cognoverunt, quomodo oportebat scire 1. Cor. 8. v. 2. *πλανῶντες καὶ πλανώμενοι* 2. Tim. 3. v. 12. Sanè scripta nostrorum abundè testantur, neminem rectè sentientium Theologorum in tractatione loci de Cœna Domini doctrinam de verouso neglexisse. Interim verò ordinem docendi non invertunt, neq; fructus vendunt, nondum satâ vel enatâ arbore.

VI. Nimis ergò manifesta & subrustica sunt illa *ροπτεύματα*, cum certamen gravissimum sit de ipsis rebus, atq; ipsâ substantiâ Cœnæ Domini: ac de eo sit quæstio: Utrum verū Christi corpus substantialiter præsens sit in Cœnâ Domini, & à vescentibus ore sumatur? an verò in cœlo procul à nobis certo loco contineatur, ita ut panis tantum symbolum absentis corporis haberi debeat? astutè præterire & dissimulare hunc nodum, & intempestivè de fructu declamare, de quo consentimus. Quales hæc sunt nugæ? Quæ hæc est veteratoria malitia? velle dare fidem, quæ vel nullo, vel incerto nitatur verbo. Quare etiam magno conatu magnas nugas dicere existimamus, qui *μῆλον ἔριδος* hujus quæstionis explicationem, & verborum Christi constantem assertionem appellare non verentur, & rectius Ecclesiæ consultum iri arbitrantur, si unumquemq; hac in parte suo abundare sensu permitteremus. Et mirâ facundiâ de pace, de moderatis consiliis, de spiritu lenitatis extra aleas vagando, rethoricantur. Et ne temerè hæc ab ipsis dicta quis putet, dignum hac patellâ invenere operculum, nimium sc. altercando veritatem amitti, & doctrinæ de Cœnâ Domini nullum inter articulos fidei locum relictum esse.

VII. Etiam si, regerimus, *διακρίσεις διαλογισμῶν καὶ λογομαχίας* summo studio in Ecclesiâ esse vitandas, verum sit, recteq; cum Apostolo Rom. 14. v. 1. 2. Tim. 2. v. 14. censeatur ac defendatur: cum ad nihil utiles sint, nisi ad subversionē audientium: veruntamen doctrinam de verâ ac reali corporis & sanguinis Christi in sacrâ Cœna, præsentia vel sumptione, inanem & perniciosam *λογομαχίαν*, vel supervacaneam *βαττολογία* esse, constanter est negandum: uti neq; , qualècunq; & confusam hîc sufficere notitiâ, judicandū, sed certâ & *αὐμεταπίπτων: καλὸν γὰρ βεβαιῆσαι τὴν καρδίαν,*
A 3 Hebr. 13.

Hebr. 13. v. 9. Et Apostolus Christianos vult esse *ἕδραϊστος καὶ ἀκινῆτους*, 1. Corinth. 15. v. 58. & nequiquam parvulos, fluctuantes, qui omni doctrinæ ventō circumferantur in nequitia hominum, in astutiā *πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης*, Eph. 4. v. 14. Quod enim de legibus ait Quintilianus: *Quid interest, nulla ne sint leges, aut incertæ?* id nos in doctrinā de Sacramentis nostrum facimus. Parum enim interest, incerta habere Sacramenta, vel omninō nulla. Nam cum Sacramentorum præcipuus finis sit, & usus, fidei confirmatio: quomodō id præstare poterunt, si fides de Sacramentis ipsis incerta est? Incerta autem est fides illa, si notitia ac sententia, ex verbō hausta, non est certa, & sic nulla. Nam fides certa verbō certō, non dubiō, non ambiguo nititur. Ubi ergō verbum certum non est: sed circa illud dubitatur vel falsa sententia concipitur; certa ibi & vera fides esse nequit: cum fides sit *ὑπόστασις* earum rerum, quæ sperantur, & argumentum eorum, quæ non videntur, Hebr. 11. v. 1. sed ex auditō verbō percipiuntur & inde certō credantur, Rom. 10. v. 17.

II X. Neque mirum est eō tandem tales Academicos & Empedotas delabi impietatis, ut testamentum Filii Dei ex fidei articulis penitus sequestrandum existiment. Ejusdem hac in parte farinae cum Pelagiō. Is enim cum à piis & orthodoxis Doctoribus urgeretur, eō audaciæ progressus est, ut contenderet, *rem controversam de peccatō Originis, non esse rem fidei aut hæresis, sed quæstionis saltem, in quâ errari possit non criminaliter, sed quasi civiliter, quasi sc. illa quæstio extra omne periculum fidei sit posita.* Videatur Augustinus contra Pelagium & Celestinum lib. 2. cap. 21. Ita Tigurini in disputatione contra Lutherum annō 29. 30. 31. etiam negarunt, locum habere doctrinam de Cœnā in ordine articulorum fidei, contendentes nihil interesse fidei Christianæ, & posse illam sine ullo incommodō ignorari.

IX. O horribilem erga DEUM ingratitude! O furorem Diabolicum! Quid hoc est aliud, quàm blasphemè contendere, non esse credendum verbis Christi, quibus cœnam instituit? Cur Apostolus Corinthios non posse simul participes fieri mensæ Domini & mensæ Diabolorum tam audacter pronunciaret, si error in Sacramento cœnæ non labefaceret ullum fidei articulum?

lum? Ad quid testamentaria Filii Dei dispositio, & ejusdem ad Paulum Apostolum in gloria cœlesti repetitio? Annon major religio & sanctitas erit Testamenti CHRISTI, quam Testamentorum inter homines? Annon hæctenus vera fuit Ecclesiæ Christi nota, quæ Christiani ab infidelium Ethnicorum cœtu piè distinguuntur?

X. Et sanè quam ob causam sancta antiquitas hæresis notam non solum impingit illis, qui articulos fidei de Deitate & Incarnatione Filii Dei, de ejusdem passione, morte, & resurrectione in dubium vocarunt: sed etiam negantibus *Ἐχαιστὰν* esse carnem CHRISTI, pro nobis passam & resuscitatam, ut verbis Ignatii utamur in Dialogis Theodoretii allegatis? Et quid animi fuit Epiphanio, eum in Ancorato scriberet: *Qui non credit, hoc esse panem, quod Christus desinit, is gratiâ & salute excidit?* Sensit nimirum Beringarius in agone, Cœnam Domini articulum fidei esse, dum verbis horrificis ejus doctrinam à se horribiliter depravatam, multasq; animas miserè seductas, usq; ad extremum vitæ halitum acerbissimè deploraret. Falsus hoc ipsum est Philippus Melanchthon, cum adhuc curru & aurigâ Israelis D. Lutherò duceretur, in Epilogo libri de sent. Patr. circa doctrinam de Cœnâ Domini, in hæc verba scribens: *Quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi à receptâ sententiâ in Ecclesiâ, tunc ista verba: Hoc est corpus meum, fulmine erunt. Quid his opponet mens perterrefacta?*

XI. Cumq; doctrina de substantiâ Cœnæ sub censum articuloꝝ fidei non veniat, cur ipsi adversarii tantoperè & tam diu de eâ nobiscum, ac si de aris & focus res esset, pugnarunt? nosq; erroris Capernaitarum, sanè foedisimi, reos agere non sunt veriti in re indifferente? Numquid pœnitundine ducti & mutato animo, jam nos pro fratribus agnoscere percuperent? Mihi non fit verisimile, Vereor ne voce Jacobum imitentur, manus tamen, quam nobis porrigunt, sit Esavi. Verùm ipsis commentum istud placet, ut arte hac Sinoniâ non solum in Republicâ Romanâ emergere, sed etiam arcem Sioniam verarum Ecclesiarum clanculum invadere, & tristem stragem in eâ pro libito facere possint, juxta Melanchthonis vaticinium: *Sententia Cirigliano-*

*glianorum, qua blanditur otioso animo & magis consentanea est hu-
mano iudicio, universa Ecclesia ac toti imperio minatur horribilem
mutationem.*

XII. Ne igitur tanti scandali conscientiam sustinere cogamur, artes Pelasgas Calvinianorum angue pejus fugiamus. Hinc profanam illam opinionem, quã fingunt, vix operæ pretium esse de substantiã Cœnæ verba facere, suis autoribus relinquentes, cœnæ Dominicæ definitionem suprâ præmisimus & ejus explanationem pleniorẽ subjecimus.

QUESTIO III.

Annon Sacramentarii secus doceant de materiã terrestri, pane & vino, quã in Orthodoxis Ecclesiis doceri consuetum est.

XIII. Deinde secus docent Sacramentarii *de materiã huius Sacramenti*: Nos duplicem illam facimus, terrestrem & cœlestem: de utrâq; Calviniani secus docent quã nostræ Ecclesiæ. Nam *i. de parte terrestri, pane & vino*, statuunt ac docent, *ubi illorum vel nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, ibi in usu Sacræ Cœnæ, quod panis aut vini vicem vel ex usu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini locò adhibendum esse, ut suprâ verbis Beza demonstravimus.* Nos contrâ docemus, constanter inhærendum esse verbis institutionis, & illis elementis adhibitis, Sacramentum hoc administrandum, quæ à Christo sunt ordinata & præscripta: ubi verò illorum nulla sit copia, tum potius, ut suprâ monuimus; Augustini præceptum sequendum: *Crede & manducasti.* Non enim *ἀδιάφορον* est, pro pane & vino aliis uti rebus, quæ *ἀναλογίαν* quandam panis & vini habeant. Cùm in nullius hominis potestate sit, ea mutare, quæ ad substantiam & usum Cœnæ, tanquam necessaria requisita, à Christo ipso instituta, pertinent.

XIV. Deinde nonnulli reprehendunt, *i. quòd panem azymum in nostris Ecclesiis adhibeamus, atque sub opinione necessitatis urgent, ut panis sit fermentatus, qualis in usu domestico adhiberi solet.* Sane isti homines intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Quandoquidem hac ratione ipse etiam Dominus fuisse

fuiſſet adactus, ut etiamſi ad Agni paſchalis celebrationem uſur-
paſſet panem azymum: in Coenae tamen Sacramento fermenta-
tam debuerit adhibere, praefertim cum ibi Sacramentum Novi
Teſtamenti inſtituerit, quod non alligatum ſit ad legem de azy-
mis panibus, in Veteri Teſtamento requiſitis: Si vero panis azy-
mus in adminiſtratione primae Coenae potuit adhiberi, quidni
etiam in noſtra, idq; liberè ſine ulli ſuperſtitione?

XV. 2. *Quòd panis à nobis adhibitus non ſit verus panis, ſed tan-
tùm ſpuma & nebula panis.* Idq; probare conantur: *quia*, inqui-
unt, *illi nulla vis ineſt nutriendi corpus: cum tamen proportio debeat
eſſe & analogia inter panem & corpus Chriſti: ut quemadmodum
panis nutrit corpus hominis; ſic corpus Chriſti nutriat hominem ad
vitam eternam.* Sed quis has calumnias & nugas non intelligit?
Et quis eſt, quem lateat, quid panis appellatione veniat? Com-
munisſimum videlicet alimenti genus, quod ex farinâ cum aquâ
ſubactâ pinſi & coqui ſolet. Hæc definitio cum panibus noſtris
minutioribus *καὶ εγγυλοεἰδέσι*, (ut eas vocat Epiphanius,
proindeq; in primitivâ Eccleſiâ in uſu fuiſſe hæc in re panes no-
ſtros rotundos, intelligere eſt) quippe ex optimâ farinâ, & ipſo
tritici nucleo piſtis & coctis, conveniat, nihil ſycophantarum
moramur morſus. Deinde panem Coenae Dominicæ ad hunc u-
ſum conſecrari, ut corpus nutriat ad naturalem hanc vitam; at-
que inde quandam ad corpus Chriſti repræſentandum analo-
giam habeat, ſanè ne una quidem litera ex Evangeliſta vel et-
iam Epistoſis Paulinis poteſt proferri, qua nimirum probetur,
quòd vel panis ſignificet corpus Chriſti, vel in eum finem ordi-
natus ſit, ut nutritio illius naturalis ſignificet Spiritualem cor-
poris Chriſti nutritionem. Somnia ſunt humani cerebri: non
myſteria divini inſtituti. Longè aliter Paulus de uſu panis ſentit
ac docet, nempe quòd non ſit ordinatus, ut ſignificationi corpo-
ris Chriſti ſubſerviat: ſed ut τῆ κοινωνίᾳ ſeu cōmunicationi & di-
ſpenſationi corporis Chriſti ancilletur. Eſt itaq; (ut rectè & or-
thodoxè concludit Hunnius in loco de Sacramentis cap. 14) in-
ter panem & corpus Chriſti non hæc ſignificationis analogia
inſtituta, ex qua Calviniani ſuam metonymicam repræſentatio-
nem de nutritione exſtruunt; ſed ea eſt ordinata analogia, quæ
intervenire ſolet inter medium exhibitivum & res exhibitas.

B

Ut

Ut verò panis sit symbolum seu organum, quo mediante exhibeatur corpus Christi, id nec parvitate ejus impeditur, nec magnitudine promovetur. Quid? quòd quilibet panis, quantumvis minutus, vim nutriendi habet? ut si maximè talis quærenda esset analogia, eam nihilominus præstare possent etiam placentulæ illæ, quæ hodie in usu sunt. Dehinc pergit Hunnius & pluribus probat, in pane Eucharistiæ hoc nequaquam quærendum esse, quod Calviniani urgent, idq; ex *1. Cor. II.* Quandoquidem ibi Apostolus redarguens hujus sacri convivii abusum, qui apud Corinthios invaluerat, in hæc verba desinit: *Cum convenitis in eundem locum, non licet Dominicam Cœnam edere, quòd unusquisq; propriam cœnam occupet in edendo: & hic quidem esurit, ille verò ebrius est. Num sanè domos non habetis ad edendum & bibendum? Quibus ostendit palàm, (addit Hunnius) hæc mysteria non esse introducta, ut pane Eucharistiæ corpora nostra alantur & nutriantur, quò Calviniana illa quæsitæ representatio dominetur, cujus nulla uspiam in verbis Cœnæ fit mentio, licet ingeniosè sic aliquis possit ludere: sed verum usum esse, ut mediante pane & vinò distribuantur corpus & sanguis CHRISTI: Unde & *κοινωνία* corporis & sanguinis Dominici, nusquam autem eorundem figura, umbra, significatio aut repræsentatio, symbola hæc Sacramentalia nominantur. Atq; huc collimat etiam Canon ille Concilii Niceni: *Non multum sumimus, sed parum, ut agnoscamus, non ad saturitatem, sed ad sanctificationem hæc sumi.**

XVI. 3. Offendit quoq; hosce novatores color & figura externa rotundi panis: proinde objiciunt, illis occasionem subministrari Pontificiæ Transsubstantiationi: *Quare hanc ipsam ob causam usurpandum esse panem vulgarem.* Verùm Davus sum, non Oedipus, qui videre possit consequentiam. Sed qui posset? cùm nulla sit: Panis est rotundus, est albus. Ergò arguit transsubstantiationem. Cur non potiùs hoc sequeretur, si panes oblongi, & coloris sub-rubei adhiberentur, ut sæpiùs est panis hordaceus, & noster vulgaris: qui longè propiùs colore suo accedit ad carnis colorem, quàm panis albus, qui in usu sacrae Cœnæ in nostris Ecclesiis adhibetur. Et si aliqua vis esset in istâ ratione, tum pari, imò potiore modò sequeretur, vinum rubeum non usurpandum esse, ne
forfan

forſan homines Tranſubſtantiatiſationis opinionem quandam ex colore concipiant, quaſi vinum in ſanguinem Chriſti ſit converſum. Verùm ubi viget verbum Dei, inquit Hunnius, & ex eo diligenter erudiuntur homines, nihil opus eſt iſto ſupervacaneò metu, quo ſuperſtitioſè anguntur hypocritæ.

XVII. 4. Neq; ferre poſſunt Adverſarii nomen *hoſtiæ vel oblati*: Id enim ex *Papatu*, & quidem ex *Idolò Miſſæ ortum ſuum trahere*, & cum *ſuperſtitione conjunctum eſſe*, ogganniunt. Verùm fallunt & falluntur. Non enim à *Miſſâ Pontificiâ*, ſed à veteri primitivæ Eccleſiæ conſuetudine deſcendit: de quâ referunt *Justinus Martyr* & *Irenæus*, quando celebranda erat *Cœna Domini*, eos, qui ad *Sacramentum* hoc acceſſuri erant, attuliſſe & impoſuiſſe ſuper menſam Domini, ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ & pauperum, panem, vinum, & alia dona: de quibus poſteâ muneribus ſic allatis, &, ut tum loquebantur, oblatiſ, ſegregata fuerint panis & vinum in uſum ſacræ Cœnæ. Uti etiam de illis iſtis muneribus *ἀγάπαι*, quæ juxta Cœnam Domini, in mutuæ fraternitatis ſymbolum agitabantur, teſte *Tertullianò* in *Apologeticò* cap. 39. inſtitutæ fuerunt. Quocirca, quia in ſcripturâ, utpote *Philipp. 4. v. 18. Hebr. 13. v. 16. &c.* Eleemoſynæ appellantur *ῥοσάαι*, oblationes; utique & Chriſtiani in primitivâ Eccleſiâ dona iſthæc ita denominabant; quæq; denominatio poſteâ manſit, uti ex *Auguſtinò*, & aliis antiquitatis ſcriptoribus palam eſt. Conſtat etiam, quòd ſcriptura nomen hoc *ῥοσάαι* & victimæ transferat ad victimas ſpirituales, nempe ad precationē & gratiarum actionem, ut locò allegatò *Hebr. 13. v. 15. Per ipſum igitur offeramus ῥοσάαι, hoſtiam laudis ſemper Deo, hoc eſt, fructum labiorum, conſitentium nomini ejus, &c.* Et ita eo uſus eſt *Auguſtinus* in ſententiis *Proſperi*. Tandem, cùm de nominibus cum nemine digladiari animus ſit, non diffitemur iſſi, magis propriè & convenienter appellari *panem Domini, panem Cœnæ, panem Eucharistiæ* &c. Interim (ut ruruſus verbis Hunnii concludam) *Papiſticæ ſuperſtitionis*; ob rem ſuâ naturâ indifferentem, argui nec volumus, nec ſuſtinemus, ſed impudentiam illorum Hypocritarum meritò retundimus.

An Sacramentarii rectè statuant de materiâ cœlesti
hujus Sacramenti.

XIIX. Tertiò, itidem in præcedentibus demonstravimus, in materiâ cœlestis consideratione & constitutione Calvinianos maximè ab Ecclesiis nostris dissentire & perperam contra diserta Christi verba docere. *Elisâ enim re cœlesti, solo pane & vinò integritatem hujus Sacramenti finiunt, sicq; inania symbola & nuda signa in Eucharistia Sacramentò statuunt.* Contrà docet nostra confessio perspicuis ac claris verbis; *corpus & sanguinem Christi verè adesse, & distribui vescentibus in Cœnâ Domini; idq; nixa verbis institutionis: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.*

XIX. Ex quibus verbis hoc invictum extruitur argumentum, & sententiæ Confessionis nostræ contra Cinglianos apodictica probatio: Quod Christus Dominus noster eâ nocte, qua traditus est, accepit, & dedit discipulis, ore manducandum ac bibendum, & in posterum fieri voluit, & à sui memoriâ distinxit, illud in Sacrà Cœnâ non absens, aut fide & memoriâ tantum, sed verè ac realiter & substantialiter præsens esse, necesse est: Atqui non solum panem, sed etiam verum & substantiale corpus suum cum pane & vino unitum, Christus in Cœnâ instituit, discipulos suos ore manducare ac bibere jusfit, & dedit, & in posterum fieri voluit, & à sui memoria distinxit: Ergò non solum panem & vinum, sed cum pane verum & substantiale corpus Christi, & cum vino verum & substantialem sanguinem Christi in Sacra Cœna non abesse, neque fide aut memoria tantum, sed verè, realiter ac substantialiter adesse necesse est. Hæc verissima & ex verbis Christi petita assertio ac demonstratio & sui & obliqui regula esse potest.

XX. Cingliani verò cum ad dogma suum de absentia corporis & sanguinis Christi stabiliendum, ab institutionis claris verbis recedant, ad rationis topica & varias vertiginosi cerebri ratiunculas, in tot penè dividuntur sententias, quot illorum sunt capita. D. Lutherus autem Topica ipsorum in compendium
contra-

contraxit. Ita enim in præfat. sup. Syngram. Svevic. scribit: *Idcirco meum fero iudicium, quamvis id ægerrimè ferant, tamen scio, rem verè ita se habere. Novi enim hac in parte & fidem & Diabolum exactè. Duo habent erroris fundamenta: Unum, quòd rationi absonum & absurdum sit: Alterum, quòd non sit necesse, ut corpus & sanguis in pane & vinò sint. Hac duo apprehenderunt, eaq; ex Diaboli seductione ita infixæ sunt eorum animis, ceu oleum in ossibus.* Darnach wenn sie solche gemalte Brillen für den Augen haben/ kommen sie zur Schrift getrollet / suchen wo sie Ihren sinn hinein tragen/ vnd die Schrift auff Ihre meinung zihen.

XXI. Contra hæc *μεθοδείας & πωρογίας* Diaboli, in conspectu & memoria habeamus discrimen *inter absurdum rationis & absurdum fidei.* *Rationi absurdum est, quicquid sensui carnis adversum est.* Quare, cum animalis homo tantum sensus suos & communia rationis principia & sic carnalia sequatur, nec ultra illa sapiat, proindeq; non percipiat, quæ sunt Spiritus DEI, sed stultitia ei sit, & non possit intelligere, quòd ea non sensualiter & carnaliter, sed spiritualiter dijudicentur. *1. Cor. 2. v. 14.* fit, ut omnia regni DEI mysteria, omnesq; fidei articuli, rationi videantur absurda. *Fidei verò omni absurdò absurdus est, recedere à verbis Christi, & in verbo divinitus patefacto nõ acquiescere.* Cum itaque animalis homo ringitur ad verba Christi, & dicit cum illis temporariis Christi discipulis: durus est hic sermo, quis potest eum capere, *Job. 6. v. 60.* nos veri Christi discipuli manemus in sermone CHRISTI, & cum magnalia Dei ratione comprehendere non possumus, *ἐν τῷ λόγῳ πισῶ* acquiescentes, Deumq; glorificantes dicimus cum populo illo *Luc. 5. v. 26.* *ἴδομεν τὰ θαύματα, vidimus incredibilia, sive inopinata, quæ nemo Sacris literis non informatus unquam opinatus fuisset: proinde τὰ θαύματα τῆς σωτηρίας, Sap. 5. v. 2.*

XXII. Si igitur ad *ἀδύνατον* confugiunt Adversarii, opponimus illis verba Angeli, in negotio æquè absurdo ac impossibili, *ὅτι ἀδυνατήσῃ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα, Luc. 1. v. 37.* & nos recipimus ad verba institutionis, in quibus Christi voluntas ultima exprimitur, facultatem committentes *τῷ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι, ὑπὲρ ἐκπερισσῶν ἀγέμετα, ἢ νοῶμεν, Eph. 3. v. 20.* Quæ

enim *impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.*
Luc. 18. v. 27.

XXIII. Alterum, quod Calviniani prætendunt, *κοινωνία* nimirum sacramentalem corporis & sanguinis Christi, non necessariam, sed supervacaneam esse, sufficere enim manducationem spiritualem: insignis est blasphemia cum extremâ impietate & ingratitude conjuncta. Cum enim CHRISTUS sit ἀρχηγός καὶ τελειωτής τῆς πίστεως, dux & consummator; sive perfector fidei, Hebr. 12. v. 2. nostrum non est, ei modum præscribere, quo fidem in nobis excitare, fovere, augere & confirmare debeat. Referantur huc verba Cyrilli in Johann. cap. 15. allegata in Apologiâ Augustanæ Confessionis: *Non negamus, rectâ nos fide, charitateq; sincerâ, Christo spiritualiter conjungi: sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idq; à divinis scripturis omninò alienum dicimus.*

XXIV. Mirum verò, quâ ratione Calviniani ad fidem Calvinicam pervenire, & eâ cum Christo coalescere possint, cum in verbis CHRISTI fidem non habent! Nunquam enim ad summum fidei gradum, qui est fiducia, ascendit is, qui in primò, nempe notitiâ, & intermediò, nimirum assensu, impingit, aut in iis pedem figere recusat. Nisi forsitan fidem sine verbò, & fiduciam sine assensu haberi posse, absurdissimâ absurditate, quod absit, statuere velimus. Fides nostra nititur CHRISTI verbis, quæ duplicem nobis in sacrâ Cœnâ describunt materiam, terrenam & cœlestem. Sic enim Dominus, *Hoc est, inquit, meum* (non figura corporis, sed) *corpus: & (non figura sanguinis, sed) sanguis.*

XXV. Et sanè validissimè οἱ δεσπυσοφισταὶ refutantur his perspicuis sacræ Cœnæ verbis: in quibus CHRISTUS disertè de suo loquitur corpore, quod pro nobis in mortem tradidit, & de suo sanguine, quem pro nobis fudit, qui est N. Testamenti sanguis, non typicus. Quæ ἐνέργεια adeò percellit mentes ipsorum, ut ipse Beza Epist. 5. ad Alemannum, veritate rei convictus nolens volens affirmet: *Hæc verba: quod pro vobis traditur, & qui pro vobis effunditur, necessariò huete adigunt, ut de ipsâmet corporis & sanguinis substantiâ hoc intelligere cogaris.*

XXVI. Ac quamvis simplicissima ac tutissima ratio tuendi &

di & confirmandi veram corporis & sanguinis CHRISTI in Cœna præsentiam nitatur institutione & autoritate Christi; quia tamen hanc adversarii ex aliis fidei articulis evertere volunt; Lutherus in majore suâ confessione etiam hæc quatuor fundamenta illis opponit, κατὰ τὸ βίαιον spicula in adversarios retorquens, quæ contra ipsum promere non sunt veriti. Primum, quod Jesus Christus est substantialis, naturalis, verus & perfectus Deus & Homo in unâ personâ, indivisus & inseparabilis. Secundum, quod Dextra Dei, ad quam sedet Christus, est ubique. Tertium, quod verbum Dei neq; falsum est neq; fallax. Quartum, quod Deus varios habet modos, novitq; quibus alicubi esse potest, neque uno illo tantum modò contentus esse cogitetur, de quo phrenetici illi homines nugantur, quem Philosophi localem vocant.

Q U Æ S T I O V.

An fractio panis in administratione Cœnæ sit ritus
Sacramentalis ad substantiam & integritatem Sacramenti pertinens.

XXVII. Quartò, diximus suprâ, Formam Cœnæ esse solennem illam, certam & Dei verbò determinatam actionem circa materiam Sacramenti hujus debitam: illamq; consistere in δόσει καὶ λήψει, datione & sumtione: quarum illa dispensatoris propria est; hæc communicantis, sive Sacramentum sumentis. In δόσει igitur partes Dispensatoris sive ministri sunt, quæ fuerunt Domini in hac externa actione, nimirum accipere panem, benedicere, frangere, dare accedenti, & dicere, accipe, comede, hoc est corpus CHRISTI, quod pro te traditum est: Similiter accipere poculum vini, dare, & actis gratis tradere communicanti & dicere, hic est sanguis Novi Testamenti, qui pro te effusus est in remissionem peccatorum. Primum ergò hic quæstio nobis movetur à Calvinianis *de fractione panis*, de quâ etiam secus docent, quàm Ecclesiæ nostræ orthodoxæ, illam enim ad constitutionem essentiæ Sacramenti ac δύσεως necessariam esse, proindeq; in ipsâ administratione necessario adhibendam esse contendunt.

XXIX. Con-

XXIII. Concedimus quidem nos, necessarium esse, ut panis frangatur, aliàs distributio & communicatio sive participatio, sine qua Cœna non est, fieri non potest: num verò circa hanc necessitatem per se fractio panis peculiaris sit ritus hujus Sacramenti, hic status est alius, & ad hanc quæstionem, tanquam scopum, revocanda sunt, quæ à Calvinianis in controversiam vocantur: quippe qui defendentes & dictam necessitatem urgentes, hanc adferunt rationem, *fractionem illam esse symbolum & figuram passionis Christi; Symbolicam autem rationem, naturam esse Sacramentorum: nullo ergò modò fractionem in ipsâ sacrâ actione esse omittendam.* Equidem symbolicas rationes à Sacramentis planè tollendas non censeo: naturam autem Sacramentorum hinc constitui non recipio: sed audacter dico, quod ne una quidem literula demonstrari ex verbo Dei valet, in hunc finem atque usum esse consecratum panem, ut suâ in multas particulas comminatione & fractione passionem Domini repræsentet. Imò refutatur hoc apertè *Johann. 19.* ubi scriptum legitur, cum suspensorum latronum crura frangerentur, non esse Christo, jam demortuo, fractum crus, idq; eò factum, *ut impleretur scriptura: Os non comminueris ex eo.* Quomodò ergò, quod in Christi corpore fieri non debuit, in Sacramento symbolicè præfigurari potuit? Proindeq; minus necessarium erit, nos Calvinianorum præscripto & postulato conformari. Nihil enim, etsi aliàs licitum, ad firmandum errorem in doctrinâ abutenti concedi potest.

XXIX. Nullam etiam necessitatem ad Sacramentum spectantem demonstrare isti adversarii possunt. Etsi enim, ut dictum est, necessariò frangendus est panis, ut fiat distributio inter plures, tamen ad hoc, ut pars sit Sacramentum constituens, proindeq; eâ in ipsâ Sacramentali actione prætermisâ, etiamsi antè facta sit, vitietur substantia Sacramenti, hoc, inquam, ab adversariis nullis constantibus argumentis hætenus persvasum est. Speciosissimum est, *quòd Christus hoc fecisse scribatur; Sed nihil ad rem.* Hic hæret quæstio, *num fecerit necessitate tantum distributionis, an verò necessitate nature Sacramentalis, hac fractione constituenda.* Prius certum est: posterius adhuc probandum.

Quod

Quod autem ipsi fidem faciat, nihil video proponi: sed potius hic satis fortiter à nobis negari omnes cordati intelligunt.

XXX. Si enim fractio in pane ritus esset substantialis Sacramenti, quia dicitur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*: tum fusio quoq; in vino similiter observanda fuisset, quia Christus inquit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*. Verùm nulla hujus fit mentio in institutionis formula: Ergò illius quoq; tanta non est necessitas, ut ad integritatem Sacramenti, tanquam pars constituens, requiratur: Cùmq; vini natura talis sit, ut à singulis bibi queat, non præeunte singulari partitione, causa patet, quare fusionis ritus in primà coenà non fuerit adhibitus, ut fractionis. Et sanè fractionis necessitas hinc quoque manifesta est, ex distributione nimirum deducta. Sicut enim vinum, quia fuit in poculo, cùm CHRISTUS acciperet illud benedicendum, antea infusum, & tamen ad Sacramentum idoneum: ita panis ante hanc actionem fractus ad Sacramentum habebitur idoneus. Ubi verò nunc necessitas, à naturà Sacramenti allata?

QUESTIO VI.

Quis sit verus sensus verborum Christi: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.*

XXXI. Quintò, ad formalem quoq; rationem, hoc est, actionem Sacramentalem, diximus pertinere, ut pronuncientur verba institutionis: *Hoc est corpus meum, &c.* De illorum quoq; sensu seculis docent Sacramentarii, quàm Ecclesia orthodoxa; licet diversimodè. Quamvis enim omnes in eo conspirent, ut negent realem præsentiam corporis CHRISTI in hoc Sacramentò, eoq; detorque verba Institutionis allaborent, ne videantur pro illà asserendà allegari posse; tamen in interpretationibus suis in tot ferè divisi sunt sententias, quot capita inter nubila condunt.

XXXII. Nam primùm Carolstadius examinavit vocem HOC, τὸ, eamq; ita interpretatus est, ac si Christus porrectò discipulis panem, digitò indice ostendisset suum corpus, & dixisset: *Accipite, nempe panem, quem vobis porrigo, hoc autem, quod ego vobis digitò meò ostendo, est meum corpus.* Cinglius excerpfit verbum substantivum EST, idq; per Metaphoram interpretatus est, pro significat, ac si verbo-

C

verbo-

verborum Christi: *Hoc est corpus meum*: sensus esset: *Hoc, quod ego vobis do comedendum, significat corpus meum*. Scripsitq; publice, se ex nocturno monitore didicisse suæ de Sacramento doctrinæ fundamentum: de quo non meminere, ater-ne an albus fuerit. Quem verò monitorem multi ex sociis non curantes, interpretationem hanc refutant. *Goclenius* ita eum juvat, ut dicat esse *Enallagen Grammaticam*. *Oecolampadius* suam sapientiam ostendere conatus fuit in verbo *CORPUS*, illudq; idem significare vel esse voluit, quod *figura, signum, sive typus corporis Christi*. Quam Metonymiam pleriq; *Calvini* discipuli sunt amplexi: Quamquam *Calvinus* ipse verba *Corpus & Sanguis* interpretatus sit, ut acceperit pro *Virtute corporis & sanguinis absentis*: Eo nomine, sed sine nomine, reprehensus à *Bezà*, qui nihilominus ipse genus prædicationis in figuratum transmutavit, verbaq; Institutionis per Metonymiam explicanda esse contendit: Et unà cum sociis in Colloq. Mompelg. ad dogma I. de Cœnâ Domini: *Existimamus, inquit, verba Institutionis Domini κατὰ τὸ πῆλὸν accipi salvâ fidei analogiâ non posse*. Ad *Calvini* sententiam proximè accedere videtur *Petrus Ramus* lib. 4. Theol. cap. 4. *Corpus & Sanguis, inquit, Metaphoræ sunt, non id ipsum, quod dicitur; sed dicto simile significantes*. Et post pauca: *Metonymiæ corporis & sanguinis, inquit, pro adjuncto eorum, bonis ac fructibus præterea conjunguntur*. Quare geminum ille Tropum in verbis, *corpus & Sanguis*, statuit, *Metaphoram & Metonymiam*. Unde postea cap. 9. *Judam* dicit tantum pane pastum esse, sine virtute corporis Christi. *Polanus* à *Polensdorff*, in verbis illis: *hoc est corpus: hic est Sanguis meus*, triplicem tropum inesse fingit: *Metaphoram, Synechocchen & Metonymiam*: Et quidem *Metonymiam* hanc, quam adhuc apertè in copulâ est defendit, vocat *Sacramentalem*. *Piscator*, postquam aliquot annis in copulâ tropū publicis scriptis fortiter defendisset, tandem admonitus & convictus argumentis contrariis, publicè illam sententiam retractavit, Responsione ad dictata *Hoffmanni* de tertiâ quæstione, p. 205. disertè affirmans & satis firmo argumento probans, copulam à nativò significato hic non immutari: Interim *Scyllam* vitans in *Charybdin* incidit, ponens *Metonymiam* subjecti in prædicatō. Alii peculiarem quærunt interpretationē in voce. *QUOD*. *Hoc est corpus meum, Quod pro vobis*

his

*bis traditur; ejusq; significationē hanc esse blaterant: Hoc est cor-
 pus meum, QUATENUS pro vobis traditū est. Quę glossa ac interpre-
 ratio legitur in Orthodoxō consensu fol. 114. & retinetur à Gry-
 næō disput: Heidelb. Thes. 19. Et Gryneus disput. de duobus Sacram.
 N. Testam. p. 226. Ut non substantiā, inquit, sed qualitate benediētā,
 quam panis vinoq; opifex ille rerum indidit, illa duo nos alunt & resi-
 ciunt. Sic etiā corpus & sanguis Christi nō respectu substantiæ, sed illud,
 quatenus pro vobis traditum est, hoc autē, quatenus pro vobis fufurū
 est, cœlestem alimoniam nobis præstat. Quos rectē ferit D. Lutheri
 dictum: Zvingliana Logica, inquit, substantiam pro accidente, quod
 pro qualiter usurpat, Tom. 3. Jenens. German. fol. 450. p. 2. edit:
 annō. 88. Guilhelmus Bucarus Instit. loc. 48. p. 604. Figurata est hæc
 prædicatio, inquit, eaq; non simpliciter Metaphorica (Ut Zvinglius
 somniaverat) aut allegorica (sicut caro & sanguis Christi dicuntur
 cibus & potus fidelium) sed Metonymica. Et postea: Figurata præ-
 dicatio est, inquit, non singulis verbis seorsum & in sese consideratis;
 (panis enim est propriè panis, & corpus non allegoricū, non tropicum,
 nō figuratum, multò minus spectrum aut phantasma: non item corpus
 mysticū, quod est Ecclesia, aut signū corporis: nō meritū Christi: sed pro-
 priū Christi corpus denotat. Omnino enim verum Domini corpus de ve-
 ro pane enunciatur) sed in totā attributione. Et tandem: Notandum,
 inquit, non esse tantū locutionem figuratam, Metonymicā aut signifi-
 cativam (quæ languidius explicaret naturam mysterii) sed sacramen-
 talem: Adhuc ille.*

XXXIII. Omnibus his dicā scribens & contradicens Kecker-
 mannus lib. 3. System. Theol. c. 8. p. 444. & seqq: disertè ac perspicuè
 allerit & oppositis argumentis confirmat, nō hic ullā transferri
 ocē de suā significatione in alienā: & expressè negat, poni signū
 corporis pro corpore: inficiatur, tropum esse in copulā, p. 445.
 Sunt, inquit, qui fatentur, nec in prædicatō, nec in verbō copulativō
 inesse tropū, sed in ipsā cōnexionē prædicati cum subjectō, id est, in ipsā
 formā hujus propositionis. Verū hæc sententia (addit) consistere non
 potest: quia omnis tropus est in verbis, nullus in rebus. Quare ibidem
 propositiones has: Panis est corpus Christi: Vinum est sanguis Christi,
 vocat relativas, extrinsecas & analogicas prædicationes. Quas
 hunc in modū explicat: Panis est corpus Christi, id est, summa est &
 sacra unio inter panem & corpus, nempe unio significationis & confir-
 mationis.

XXXIV. Et coronidis locò adhuc unicum hoc (cùm omnium
somnia & contradictiones, proindeq; nugas, hic recensere nimis
longum foret) *Bucani* notetur, qui inquit: *Est quidem in ipsis Cœna
verbis τὸ πρῶτον, videlicet Sacramentale, retinendum.* Quod verò quid
sit, ita explicat, ut affirmet *in Sacramentali locutione non tam lite-
ram, seu sonum verborum, quàm διὰ νοίας, id est, sententiam certam se-
quendam esse.* Perplexus sanè sermo! τὸ πρῶτον est servandum, hoc
est, à literali sensu ad *Διὰ νοίας* abeundum est. Verùm unde *Διὰ
νοίας* illa desumenda? Sanè non ex verbis CHRISTI. Illorum enim
observandum & retinendum τὸ πρῶτον. Ergone ex cerebellò hu-
manò? Vix aliud dabit: nisi ipsum Spiritum mendacem allega-
re velit.

XXXV. Atq; sic satis opinionum sive errorumne dicam an
furorum, audivimus. Sed ut error multiplex, falsumq; varium;
sic veritas simplex & unica est. Ex variâ itaq; hac dissimili ac dis-
crepante verborum Cœnæ explicatione facilè colligitur, à quo
Spiritu agitentur Cingliani, non sanè à Spiritu veritatis, sed
mendacii & erroris: liquetq; inde, quòd etsi adversarii isti cau-
dis sunt colligati, sicut vulpeculæ Samsonis, quatenus ad hunc
collimant scopum, ut corpus & sanguinem CHRISTI, penitus è
Cœnâ proscribant, & vacua signa, seu cassas nuces & inania pu-
tamina nobis relinquunt: tamen capitibus & interpretationis
ac sensus diversitate minùs cohærent, quàm quæ sementem in-
cenderunt facibus aptatis animalcula, quibus cauda accensa,
tam inquietum attulit animum, quàm Tropistis istis malè feria-
ta interpretatio, & verborum Testamenti Filii Dei falsatio.
Quod si verò quis requirat, quàm bellè hic consentiant, is per-
pendat, quæ jammodò à nobis sunt enumerata commenta, nec
non consulat confessionem D. Lutheri minorem & alia nostræ
Confessionis scripta, tam publicò quàm privatò nomine edita.

XXXVI. Incumbit autem adversariis hæc quatuor demon-
strare, si suam opinionem obtinere & evincere cupiant. I. Ex
ipsis verbis institutionis ostendendum, nostram sententiam, quæ
perspicuis & certissimis verbis veracis & omnipotentis Christi
nititur, esse falsam. Quod nunquam facere poterunt, manenti-
bus claris & immotis Salyatoris nostri verbis: *quod pro vobis tra-
ditur:*

ditur: qui pro vobis effunditur. II. Necessè habent, ut suas figuras, signa, typos, symbola, &c. absentis corporis CHRISTI ex verbis institutionis confirment. Quod & ipsum ipsis planè est *αἰδύναρον*: quia obstant verba: *quod pro vobis traditur: qui pro vobis effunditur*: quæ omnem typum excludunt. III. Oportet, ut inter illos conveniat, quæ verba institutionis propriè, & quæ figuratè sint accipienda; vel in quibus certò resideat tropus. Qua de re nondum inter illos hæctenus convenit; sed, ut patet, tot fuerunt sensus, quot capita. IV. Demonstrandum ipsis est invictis rationibus, quòd CHRISTUS nullo modò corpus suum in Cœnâ cum sacro pane possit exhibere; cum de voluntate illius ex verbis institutionis certò constet: Et quòd præter localem nullus præsentiaè modus, corpori ejus competat. Quòd etiam ipsis factum est planè impossibile.

XXXVII. Nos verò contra invictis argumentis demonstravimus, quòd verborum istorum CHRISTI *τὸ πρῆν* sanctè sit servandum, & nequaquam in illis vel tropus, vel figura, similia-ve figmenta concedenda. Addamus adhuc pauca. Confirmat certè sententiam nostram miris modis unanimis Evangelistarum & Apostoli Pauli consensus: quos constat diversis locis, diversis quoque temporibus res gestas Domini Jesu literis mandasse. Apostolum verò historiam institutæ Cœnæ ab ipso Dominò, in gloriâ majestatis existente & regnante, addidicisse. Nullus autem ipsorum ullam istarum glossarum Calvinisticarum habet: *Panis significat corpus meum, quod pro vobis traditur: vel est signum vel figura corporis: vel est virtus corporis mei, &c.* Deinde maximum est discrimen inter Vetus & Novum Testamentum, proindeq; inter eorum Sacramenta. In Veteri quidem adumbratus & figuratus fuit Christus secundum carnem: In Novò autem non adumbratur, non significatur, aut repræsentatur, sed abrogatis typis, figuris & significationibus simul omnibus, ceu ipsa N. Testamenti substantia sistitur & exhibetur. Quia verò Cœna Domini est Sacramentum, non Veteris, sed N. Testamenti: Ideò Christus carne & sanguine suò in eà non significatur, sed reali *κοινωνία* seu participatione, mediantibus symbolis, ad manducandum & bibendum cœlestia illa sua dona communicat. Nervus hujus argumenti habetur *Hebr. 10. & Colos. 2.*

XXXVIII. Insignis quoq; locus est *1. Cor. 10.* quem Lutherus vivum antidotum & præsentissimum remediū, contra omnes objectiones, cavillationes, & tentationes in hac controversiâ, sibi fuisse affirmat: Ubi Paulus his verbis: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* artificiosâ & perspicuâ brevitate integram historiam institutionis complexus est. Nam sententia horum verborum est, quòd manducatio pane, quem frangimus, simul reddamur in eâ manducatione participes corporis Christi, & quòd de poculo Domini bibentes, fiamus simul participes ipsius sanguinis Christi, idq; bibendo,

XXXIX. Facit etiam ad Calvinianos refellendos, quod dicit Joh. 1. Epist. c. 5. *Hic est, qui venit per aquam Jesus Christus, non per aquam solum, sed & per aquam & sanguinem.* Et mox: *Tres sunt, qui testimonium dant in terrâ: Spiritus, aqua & sanguis; & hi tres in unum consentiunt.* Confirmant enim verba hæc præsentiam sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ, in Ecclesiâ hujus mundi, seu militante celebrato. Perspicuè namq; hic differitur de tribus testibus, sacro Ministerio propriis, qui singuli in terrâ fidelibus veritatē promissionis de CHRISTO, ejusq; beneficiis obsignant. Eos testes dicit Johannes esse *Spiritum, Aquam, & Sanguinem.* Et per Aquam & Sanguinem dicit Christum venire ad nos: quia Sacramenta & prædicatum verbum sunt ceu vehicula Salvatoris nostri, quibus dignatur ad nos venire: Ac Spiritus sanctus per hæc media testatur in nobis de Christo. Per Aquam verò non nisi Baptismus: Per Sanguinem sacrae Cœnæ sanguis intelligitur, qui testificatur in terrâ, non in cælo.

XL. Tandem quoque contradicit Calvinianis, contra verò nobiscum consentit totus chorus Patrum. Nam primū perspicuè docuerunt omnes pii & sinceri Ecclesiæ Antistites, duas esse res in Cœnâ, cœlestem & terrestrem, *Irenæus lib. 4. contra Val. cap. 34. Augustinus in sententiis Prosperii, &c.* Deinde fatentur, corpus Christi non tantum in cælo esse, sed etiam in Cœnâ, & hoc qui negant, hos Ignatius vocat hæreticos. *Chrysostr. 1. Corinth. 11. Hoc, quod in poculo adest, illud est, quod ex latere Christi fluxit, & illud participamus.* Tertiò docent, Corpus & Sanguinem Christi invisibili modò adesse, distribui & sumi in Cœnâ

Nam

Nam, ut Augustinus cum Cypriano, & cum illis Bernhardus inquit, Eucharistia constat visibili Elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Quarto disertè affirmant, Christum non tantum Spiritu, virtute & efficaciam adesse in Cœnâ, verum etiam corpore & sanguine suo substantialiter presentem esse, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur; sed etiam participatione naturali, corporaliter, communicatione carnis in nobis habitare, & reipsâ nos corpus suum efficere, & in unam secum massam reducere, non fide solum, sed reverâ propriò corpore nos alere & sibi conjungere atq; conglutinare, Cyrill. lib. ii. in Johann. cap. 26. Chrysost. in c. 26. Matthæi hom. 83. Quinto refutarunt orthodoxi Patres, per corporalem participationem corporis & sanguinis Christi in Cœnâ, eos, qui negarunt nostram carnem capacem esse vitæ æternæ, Irenæus lib. 5. Cyrillus lib. 6. Atq; ideò Nicenus Canon corpus & sanguinem Christi nominat *σύμβολα τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως*. Sexto, unanimiter etiam Patres manducationem indignorum statuerunt, ut paulò post videbimus. Septimò monuerunt omnes ac singulos, ne ullis rationibus à simplicitate verborum Testamenti se abduci paterentur, uti videre est apud Chrysostomum hom. 85, in Matthæum. Ambrosium de iis, qui initiantur sacris. Leonem serm. c. de jejunio. Octavo docuerunt etiam duplicem manducationem, Sacramentalem, corporalem seu oralem, communem dignis & indignis, Petro & Judæ; & spiritualem, propriam dignis & credentibus, ut mox dicemus. Tandem collationem instituerunt unionis personalis, quæ est duarum naturarum in Christo, & Sacramentalis, quæ est signorum & signatorum, nempe ut ostenderent, quòd, sicut in Christo reverâ duæ naturæ sibi præsentissimè sint unitæ; ita quoq; in Cœnâ panis unâ cum corpore, & vinum unâ cum sanguine Christi præsentem exhibeantur, ut non tanto intervallo à se invicem distent, quantò summum cœlum ab imâ terrâ, sed Sacramentali unione sint conjunctissima. His argumentis, omni demonstratione firmioribus, addantur, quæ in primâ disputatione pro reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœnâ adduximus. Quibus qui moveri ac illuminari non patiuntur, necessum est in æternum cœcutiant, vel omninò cæci pereant.

Quæ

Q U Æ S T I O VII.

An necessarium sit, ut communicantes manus adhibeant prius, & sic accipiant, quàm comedant & bibant.

XLI. Sextò, communicantis in actione externâ, qua integra definitur Cœna Domini, est accipere benedictum & porrectum panem & poculum seu vinum, & comedere & bibere. Prima ergò actio cõmunicantis est accipere panem & vinum: *ubi rursus secus docent Calviniani, quàm orthodoxi Lutherani, nempe postulant, ut communicans manus prius adhibeat ad prehensandum, quàm comedat & bibat: & quia hoc apud nos non observatur, Sacræ Cœnæ celebrationem arguunt vitiosam.*

XLII. Sed expedita est responsio: quòd acceptionem Christus speciatim definiat comestione & bibitione. Oralis igitur expressa & necessaria est sumtio, neque potest dici non accepisse, qui ore sumit, comedit & bibit. Utrumque ergò cum fiat à nostris communicantibus, temeraria est eorum reprehensio.

XLIII. Objiciunt Calviniani, verbum λαμβάνειν, propriè significare, *manu accipere*. Si ergò verba Cœnæ in propriâ significatione sint accipienda, & hujus propriam potestatem omnino retinendam esse colligunt & urgent. Sed errant, nescientes scripturas. Generalis est enim verbi istius significatio. Nam de Christo, in cruce pendente, Johannes scribit *cap. 19. v. 29. 30.* Milites spongiam plenam acetò & hysopò circumponentes; obrulerunt (non manui, sed) ori ejus, *Cum ergò (ὅτε ἔν ἔλαβε τὸ ὄξ) accepisset (sanè non manu, sed ore, cui oblatum erat) Jesus acetum, dixit, consummatum est.* Similis locutio extat *Marc. 15. v. 23.* Et dederunt illi bibere myrrhatum vinum: *ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε.*

Q U Æ S T I O IIX.

An manducatio in Sacrà Cœnâ sit triplex: Et an detur Sacramentalis: anq; ea sit eadem cum Spirituali, Joh. 6.

XLIV. Septimò, secus etiam docent Sacramentarii de speciebus manducationis. Lutherani ter-geminam agnoscunt. *I. Physicam*, quæ ad signa sive elementa sola pertinet, & non est Sacra-

Sacra-

Sacramenti hujus propria. *II. Sacramentalem*: quæ licet non fiat physicâ & crassâ ratione: tamen fit ore corporis, juxta verba Christi, qui inquit: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*: & quia hujus Sacramenti propria est, & non fit immediatè, sed median- tibus symbolis externis, vetusta appellatione vocatur *Sacramen- talis manducatio*. *III. Spiritualem*: quæ fit ore fidei: nempe quan- do credentes in usu sacræ Cœnæ, sibi fide applicant merita & beneficia Christi: & continetur in his verbis: *Hoc facite in mei cōmemorationem*. Quæ verò de verbò *manducandi*, & de corpore Christi dicuntur, eadem etiam similiter de verbò *bibendi*, & de sanguine Domini intelligenda sunt. Quid hic Sacramentarii? Elisi eâ, quæ est hujus instituti propria, nempe Sacramentali, præter cæteras nullam admittunt.

XLV. Ut autem Sacramentalem, & propriam hujus Sacra- menti manducationem elidere & negare possint, etiam verba *Edite & Bibite* torquent. *I.* Quando illa ad solum panem refe- runt, ut superioribus annis Marpurgenses, Admonitio Neusta- diana pag. 103. Piscator, & multi alii. *II.* Quando contendunt, *Edere & bibere corpus & sanguinem Domini*, idem esse, quod *cre- dere*, Christum corpus suum pro nobis tradidisse in mortem, & sanguinem suum pro nobis effudisse, *Praxis & Medulla Cateche- tica, quest. 134.* *III.* Quando verbis illis duas diversas significatio- nes tribuunt: *Propriam* respectu externorum elementorum, pa- nis & vini: & *figuratam*, nempe Metaphoricam, respectu cor- poris & sanguinis Christi. Hinc rursus tota illa divulsio, ut con- tendant, Pastorem Ecclesiæ solum panem & vinum porrigere, eaq; sola communicantes manu & ore accipere: Christum au- tem seorsum distribuere carnem & sanguinem suum, solâ fide percipiendum. *Sic Bucanus pag. 260. & communiter omnes.*

XLVI. Hinc axioma Calvinianorum: *corpus & sanguinẽ Chri- sti in sacrâ Cœnâ non nisi fide percipi*. Id quod monstrasse se jactitant ex capite sextò Johannis. Inter alios videantur *Beza & socii in Colloq. Mompelg. th. 4. de S. Cœnâ. Et Praxis & Medulla Catechetica Marpurgi edita, anno 1606.* Atq; proinde quidam disertè negant, ullum esse discrimen inter manducationem corporis Christi Sacramentalẽ & Spiritualem: quidam verò etiam si discrimen ali-

D

quod

quod concedant, ut Antonius Sadeel distinctis editis tractatibus, uno de Spirituali, altero de Sacramentali corporis Christi manducatione; idq; defendere videantur: ludunt tamen tantum ambiguitate vocis, *Sacramentalis*. Unde Herbornenses, pro Sadeele disputantes, expressè negant, corpus Christi Sacramentaliter manducari posse, quia scilicet non sit Sacramentum, *libro de Sacramentali manducatione pro Sadeele*.

XLVII. Verum enim verò inania hæc Sacramentariorum figmenta esse, & Christum manducationem Sacramentalem, qua ore corporis, mediante pane & vinò, accipitur corpus & sanguis Domini, instituisse, subsequentes rationes evidentissimè evincunt ac demonstrant. *I. Quia verba hæc: Comedite & bibite, hic nō figuratè usurpantur, sed ita accipienda sunt, sicut sonant, videlicet de manducatione, quæ fit ore. Neq; discipuli aliter verba illa intellexerunt, proinde etiam ore accipiebant Cœnam. Quid autem accipiebant? num nudum panem & vinum, ut delirant Adversarii? nequaquam verò: sed id, quod dabat Dominus: Non autem dabat nudum panem vel vinum: sed suum corpus & suum sanguinem. Dicit enim, accipite, edite, hoc (nempe quod ego vobis do, & ut comedatis, mando) est meum corpus, & bibite, (nū solum vinum? non sanè, sed) sanguinem Christi: quippe qui itidem dicit: bibite ex hoc poculò; hoc, (quod bibere vos volo & mando) est sanguis meus. II. Quia Christus illud manducare & bibere in Cœnâ, nusquam ad discrimen externi & interni hominis, quod argent Adversarii, retulit? Et ne vel minimò quidem verbò indicavit externum hominem, hoc est, ut ipsi hanc vocem accipiunt, corpus vel os corporis tantum sacra symbola, panem & vinum; internum autem, hoc est, juxta ipsorum figmentum, solam animam, corpus & sanguinem Christi participare. Dent Adversarii vel minimum indicium hujus perversæ interpretationis: nō possunt: quia perversa, inquam, est, & absurda. III. Quia Christus in verbis: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus, non discernit inter Judam proditorem suum & inter reliquos discipulos, sed utrisq; unum idemq; Sacramentum porrigit. Quod verò facere non potuisset, si nullo modò Judas corporis & sanguinis Christi particeps factus fuisset: Ergò Judas æquè*

æquè accepit corpus & sanguinem Christi Sacramentaliter, ut
cæteri Apostoli, licet non spiritualiter. *IV.* Quia Christus non
dicit. *Accipite, comedite, hoc est absentis corporis mei signum: vel co-
medite hunc sacrum panem, qui corporis mei nomen accepit:* sed sim-
pliciter ac disertè, *comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis
traditur,* Quæ verò verba, ut nequaquam illam Calvinianorum
glossam admittunt: sic nullibi in totâ scripturâ ullum ejus levis-
simum datur indicium. *V.* Paulus quoque, quando panem vo-
cat *κοινωνία*, *communicationem seu participationem corporis Christi,*
disertis verbis Sacramentalem manducationem confirmat, quâ
non vacua signa accipiantur, sed cum illis res cœlestes, à Christo
promissæ & exhibitæ, corpus nimirum & sanguis illius verè quoq;
exhibeantur. Aliàs enim panis nequaquam esset *κοινωνία*, & par-
ticipatio corporis Christi; sic de poculò.

XLIX. Quod attinet *caput 6. Johannis,* ex quo adversa pars
gloriatur, *se demonstrasse, corpus & sanguinem Christi non nisi fide
percipi in sacrâ Cœnâ,* falsa & stulta persuasio est. Quandoquidem
caput hoc Johannis nequaquam sedes est hujus de Cœnâ Domini-
câ mysterii: cum Cœna Domini instituta demum sit eâ nocte, quâ
Dominus Jesus traditus est, *1. Cor. 11.* Concio verò *Johannis 6.* de-
scripta multò ante sit habita. Quocirca non hæc, sed solùm ver-
ba institutionis sunt propria sedes ac domicilium integri hujus
mysterii: similiter ea, quibus Apostolus ex professo de hoc articu-
lo tractat *1. Cor. 11. v. 23.* Et proinde hinc verus sensus verborum
Testamenti CHRISTI petendus est, nequaquam verò ex locis pe-
regrinis, & sic neque ex *cap. 6. Johannis.* Quia verò etiam in
sacrâ Cœnâ præter manducationem Sacramentalem, quæ di-
gnis & indignis communis est, eadem est credentium & di-
gnorum manducatio Spiritualis, quæ *Joh. 6.* describitur: ideo
Patres sæpè cum doctrinâ de Cœnâ Domini sextum illud ca-
put conjunxerunt, nempe propter hanc Spiritualem mandu-
cationem, utrobique eandem; nec tamen propterea negarunt,
Cœnam esse peculiare Sacramentum, & in eo peculiarem
manducationem, quæ, ut diximus, vetustâ appellatione Sacra-
mentalis dicitur.

XLIX. Observandum ergo hic venit discrimen inter sextum caput Johannis, & doctrinam de S. Cœnâ; item inter Spiritualem & Sacramentalem manducationem: quod non est unum, sed multiplex. *Primum* sumitur à diversis mediis. Aliud enim est fides, quâ spiritualis manducatio peragitur, qualis est manducatio, quæ *Joh. 6.* præcipitur, nempe manducatio fidei, ipso Christo illic definiente & explicante: aliud ritus ac ceremonia Sacramentalis, in quâ oralis manducatio præcipitur, quæ etiam absq; fide fieri & peragi potest, sed sine fructu utentium. *Alterum* à circumstantiâ temporis petitur: In Cœnâ præcipitur ejusmodi sumtio corporis & sanguinis CHRISTI, quæ prius nec instituta fuit, nec præcepta, sed demum ordinata in eâ nocte, in quâ traditus est Dominus Jesus; quod & historia Evangelica & Apostolus Paulus *1. Cor. 11* luculentissimè contestatur: cum econtra concio illa *Joh. 6.* integrum annum antecesserit Cœnæ institutionem, & apud fideles omnium temporum extiterit illa fidei manducatio, multò prius, quàm Sacramentum Cœnæ institueretur. Crediderunt enim in CHRISTUM omnium seculorum pii, etiam ante Cœnam à Christo traditam & ordinatam. Hoc argumento motus Calvinus ipse fatetur *Joh. 6.* nihil agi de Cœnâ. *Tertium* à proprio est. Christus in Eucharistiâ ejusmodi ordinavit sui corporis manducationem; quæ huic Sacramento unicè propria est: cum econtra spiritualis manducatio & bibitio extra hanc cœnæ actionem fieri possit ac soleat. *Quartum* à diversitate *ῥησιμότητος*; Nam etsi Christus *Joh. 6.* de eadem suâ carne concionatur, de quâ agit etiam in Cœnâ: tamen *ἀλλήγορημας* de cœlesti pane, mannâ & typò loquitur, (sicut quoq; *edere* ipsi idem est, quod *credere*.) Unde sumit occasionem differendi de fructu carnis suæ. In Cœnâ autem de nullo typò verba facit, neq; etiam *edere & bibere* explicat, ut ibi, per *credere*: sed sumtò pane & vinò manducationem corporis & bibitionem sanguinis sui instituit, inquit: *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum &c.* Talem enim occasionem, qualem habebat & ipsi objiciebant Judæi in 6. cap. Joh. tropicè loquendi non habuit Christus in institutione Cœnæ. Quid? quod *Joh. 6.* non metonymicè loquatur, sed metaphoricè, ut innuimus, suam carnem & sanguinem panis, cibi, & potus appellatione de-

ne de.

ne designet. Qui tropus multo erat clarior, quam si fingatur
Christus in Cœnâ metonymicè locutus. *Quintum* ab ordine.
Manducationem spirituales adferimus nobiscum ad Cœnam.
Nisi enim hac jam antè sumus instructi, fructuosum nobis esse
Sacramentum mysticæ benedictionis minimè potest. Hanc verò,
quam Dominus Iesus verbis institutionis ordinat, non nobiscum
adferimus, sed eandem demum in Cœnâ quarimus, tanquam sa-
lutare medium, per quod illa spiritualis, in fide posita, alatur &
confirmetur: Est enim sacramentalis manducatio sigillū, & con-
firmatio manducationis spiritualis, quæ fit per fidem. Hoc ve-
rò sigillum non est nudus panis & vinum, sed corpus & sanguis
Christi, cum his elementis exhibita. *Sextum* est à fine. Mandu-
catio *Iob. 6.* requisita, ad iudicium fieri non potest: cum nemo
credere possit ad iudicium. Qui enim credit non iudicatur, *Iob. 3.*
v. 8. atq; ea propter non competit hypocritis aut impœnitenti-
bus, sed solis verè fidelibus. Sacramentalis verò manducatio
corporis Christi potest, attestante & confirmante Apostolò, fieri
ad iudicium, hoc ipso, quòd manducantes indignè, non dijudi-
cant corpus Domini *1. Cor. ii.* *Septimum* à diversò respectu ad
carnem Christi. Manducatio, quæ *Iob. 6.* præcipitur & definitur,
respicit carnem Christi non ratione substantiæ, sed beneficiorum
& fructus. Qua ratione ac modò (nempe fructuum respectu) pa-
tres quoq; in Veteri Fœdere carnem Christi manducasse prædi-
cantur, cum quidem substantia carnis nondum esset in rerum na-
turâ. Quandoquidè lex tantum umbram habuit futurorum bo-
norum, non ipsam imaginem rerum, *Heb. 10.* Verum manduca-
tio in Cœnâ institutâ, etsi etiam, ut salutaris evadat, fidem requi-
rat, ipsa tamen per se non fructum, sed ipsummet Christi corpus,
tanquam N. Testamenti substantiam respicit. *Octavum*: à modò:
Manducatio Johannis sextò est sine symbolis: In Cœnâ autem
Domini symbola sacramentalia, id est, panis & vinum ad distri-
butionem & perceptionem corporis & sanguinis Christi desti-
nata sunt. *Nonum* à definitione. Manducatio *Iob. 6.* solâ fide defi-
nitur: Manducationem verò & potionem sacramentalē Chri-
stus definivit hisce verbis: *accipite, edite: accipite, bibite:* id quod
ore fiebat à discipulis, qui ore comedebant corpus Christi, & ore
bibebant

bibebant sanguinem Christi, propter symbola sacramentalia, quæ cum corpore & sanguine Christi sacramentaliter uiuuntur, ut jam pluribus docebimus.

L. Ex multiplici hac differentia Sole clariùs elucescit, quàm imperitè faciant Calviniani, locum hunc, planè nihil agentem de Sacramentali manducatione, pro sede ac fundamentò in hac controversia iactantes, relictàq; sede dogmatis, ipsum dogma in locis peregrinis quærentes.

Q U Æ S T O IX.

An manducatio sacramentalis fiat ore corporis.

LI. *Octavò*, ut Cingliani de sacramentali manducatione, sic quoq; *de organò percipiendi secùs docent, quàm Orthodoxi*. Lutherani enim Sacramentalem perceptionem ore corporis fieri tradunt; Sacramentarii elementa ore, rem cœlestem fide, id est, unum atq; idem Sacramentum geminò instrumentò apprehendi somniant. Si autem hoc verum, tum illi, qui fide carent & indignè accedunt, sacramentum non percipient: non enim percipiunt rem cœlestem, sine quâ sacramentum non est sacramentum; proindeq; illorum manducatio sacramentalis ne quidem dicenda est. Solius enim panis & vini sumptio merè naturalis est. Taceo, quòd sacramentalis & spiritualis manducationes confundantur: quæ tamen distinguendæ sunt, & in ipsis piis & dignè sacram Cœnam accipientibus. Si ergò Sacramentalis à spirituali, quæ Joh. 6. describitur, distinguatur, uti omninò distinguenda est, uti id etiam cordatiores adversarii non possunt non concedere, non sine causa quæritur, quæ tandem erit illa sacramentalis manducatio, quam Sacramentarii, ceu caput Gorgonis, nobis nunquam nò objiciunt. Spiritualis non est, ut dictum: Ergò aut erit ipsius panis manducatio naturalis, aut erit Capernaitica. Non certè illa: quippe cui nihil mysticæ rationis subest, neq; ea est Ecclesiæ Novi Testamenti propria, sed locum habet extra Ecclesiam, utpote vulgaris & communissima. Ergò est oralis hæc in Ecclesia nostra appellata. Et didicimus ita loqui primùm ab unico Magistro nostro Jesu Christo, qui cum pane corpus suum edidit; cum uino uero sanguinem suum bibi

um bibi ex poculo jusfit. Una igitur est eademq; indivisa panis & corporis Christi, sacramentaliter unitorum, manducatio; itemq; vini & sanguinis Christi, sacramentaliter unitorum, bibitio. Quandoquidem Christus non divellit actionem verbis distinctis; ut elementa ore corporeo, corpus autem & sanguinem fide tantum recipi jubeat, sed sequentia cum præcedentibus uno continuoq; verborum contextu necit & conjungit; *comedite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis N. Testamenti:* comederunt verò ac biberunt ore corporis: Ergò manducationem corporis sui oralem expressè præcepit Christus.

LII. Calviniani nostram hanc doctrinam, quam à Domino accepimus, lanienæ Capernaiticæ & κρεοφαγίας Cyclopicæ crimine sanè atrocissimo, omnibus exoriam reddere conantur, & contra Manducationem & bibitionem Metaphoricam, Spiritualem vehementer urgent: talem videlicet, quæ corporis & sanguinis Christi non ore corporis, sed ore animæ, seu fide, in cælum evolante, unice participes fiamus.

LIII. Figmento huic sequentes opponimus rationes. *I.* Inevitabilem τῆς ῥητῆς retinendi necessitatem. *II.* Naturam verborum, actionem significantium. Hæc namq; de proprio suo objecto usurpata significationem habent propriam non metaphoricam. *III.* Eandem relati & correlati rationem. Quandoquidem nunquam relatum proprium refertur ad correlatum metaphoricum. *IV.* Similium ἀναλογίαν. Eadem namq; ratio est verborum, edendi & bibendi. At verbum bibere propriè & absque tropo accipitur. *Biberunt enim ex calice omnes:* certe non tropicè. Ergò edere quoque accipitur propriè. *V.* Absurdum. In eadem enim propositione non potest unius ejusdemq; verbi sensus diversus, nempe nativus & figuratus, simul locum habere. *VI.* Unionem Sacramentalem, sine qua Sacramenta ne cogitari quidem possunt. *VII.* Discrimen inter substantiam & fructum Sacramenti. *VIII.* Omnia argumenta, quibus manducatio Indignorum paulò post probabitur. *IX.* Et tandem religiosæ Antiquitatis testimonia: quæ magno numero adferri possunt.

LIV. Obj

LIV. Objiciunt Calviniani, *planè impossibile esse, ut res toto genere diversa, terrena & cœlestis, eodem modò ac instrumentò percipi- antur.* Sed in promptu est responsio, cõfundere adversarios qua- stiones diversissimas, quales sunt I. *ὡς ὄραυξ δελφίνῃ.* & 2. de modò perceptionis. Quas verò nos accuratè distinguentes, con- cedimus, imò defendimus res quidem toto genere differen- tes, certa tamen ratione unitas, eodem percipi posse instrumen- to; negamus verò id fieri posse eodem modo. Verbi gratia, Jo- hannes Evangelista cap. I. v. 14. *Vidimus, inquit, gloriam, quasi u- nigeniti à patre.* Et rursus ibidem v. 32. Baptista dicitur *vi- disse Spiritum Dei, descendētem sicut columbã super Christum,* Matth. 3. v. 16. *Apostoli audivisse, oculis vidisse, manibus suis contrectasse* le- guntur *verbum vita,* I. Ioh. I. v. 1. Sanè res toto genere distantes viderunt hi & contrectaverunt. Viderunt verò eodem instru- mento oculorum, contrectaverunt instrumento eodem manu- um: non verò eodem modò vel viderunt vel contrectaverunt; Baptista columbam vidit *πρώτως* & immediatè: Spiritum san- ctum *ἀτέπως* & mediatè; uno autem actu, uno organo, propter unionem. Sic in sacrã Domini Cœnã panis & corpus Christi manducantur, non quatenus sunt res distinctæ, sed quatenus sunt sacramentaliter unitæ unã manducatione. Omnis enim actio singularis, quæ occupatur in objectò sibi proportionatò, est u- na, non geminã, sive duplex: Modus autem organicæ hujus par- ticipationis non est idem. Panis enim primò ac immediatè: cor- pus Domini verò mediatè, mediante nimirum pane accipitur. Proinde actus sacramentales non sunt gemini, (quia Sacramen- tum, cujus forma est actus, nō est geminum) sed respondent uni- tati Sacramenti, quæ dependet ex unionem Sacramentali.

LIV. Ex quo sequitur, Calvinianos fingentes manducatio- nem duplicem, toto genere diversam, unionem Sacramentalem penitus tollere. Ex quo errore facilis descensus est in longè perniciosiorem. Perinde enim illi concludunt, ac si diceres: In Christò sunt duæ distinctæ naturæ: Ergò Christus non est una persona: Panis & corpus sunt res duæ distinctæ: Ergò non sunt unum Sacramentum.

LVI. Excipiunt: *Nulla est proportio inter Christi corpus & tuum*

OSCOR-

os corporeum. Sed respondemus, & quærimus, ut dicant nobis, an sit proportio inter corpus Domini & animam fumentis. Sanè negat hoc Cinglius, & absurdum est omnibus. Quid? Nobis absurdum non est: quare audacter dicimus, esse proportionem in maducatione Sacramentali inter corpus Christi & os nostrum, non tamen absolutè, sed respectu unionis sacramentalis. Corpus namq; Christi in Cœnâ manducatur, non quâ absolutè est corpus CHRISTI, sed quâ est sacramentaliter pani unitum.

LVII. Cæterum, quando urgent Adversarii promissionem fidei saltem apprehendendam esse, monendi sunt, ut distinguant inter promissionē, cuius correlatum est fides, & rem promissam. Hoc nisi fecerint, abstineant ab esu panis ob id, quod promissio de pane quotidiano corda requirat credentia.

LIX. Et quid de fide volatili *ερανοβατηνῆ* nobis vela & verba dabunt *μετεωρολογουνοι* Calvinistæ? Cum imaginatio ista tam à saniore Philoſophiâ, quàm sacrâ Theologiâ sit aliena. A Philoſophiâ quidem. Nam sicut omnis intellectio hominis fit in animâ, non extra animam: sic quoque fides realiter tantum est in animâ, & non versatur extra, sed intra mentem. Deinde fides non recipit rem ipsam extra mentem existentem: quæ sanè corporea est, & animam ingredi nequit; sed speciem rei, extra mentem existentis: ita ut res ipsa corporea maneat extra & absens, præſente solâ specie sive imagine. Sententiam hanc approbant non solùm acutissimi Philoſophi, sed & ipse Augustinus *lib. de Quantitate anime.* Quocirca rectè inferimus: *I.* Fidem nostram realiter non adscendere in cœlum, & Christi corpus ac sanguinem apprehendere. *II.* Calvinianos corpus Christi non realiter, sed saltem objectivè per speciem seu *ὁμοίωμα* in Cœnâ præſens statuere. Verùm quodnam hoc est corpus? quæq; hæc præſentia?

LIX. Abhorret fidei in cœlum sublimatio etiam à Theologiâ. *I.* Quia de hoc commentò ne syllaba quidem vel litera in scriptura extat. *II.* Quia absurdissimum est fidei nostræ tribuere facultatem conscendendi in cœlum: contrâ verò Christo derogare potentiam, quâ præſens esse possit corpore & sanguine in Cœnâ. *III.* Quia scriptura distinguit inter maducationem, quæ

E

ore

ore fit; & spirituales, quæ fit fide. *IV.* Quia ex scripturâ constat etiam indignos recipere corpus & sanguinem Christi, licet fide destitutos.

QUESTIO X.

An detur unio Sacramentalis, & quomodo.

LX. Nonò sæpiùs facta est mentio *unionis sacramentalis*, quippe in quâ fundatur manducatio oralis sive sacramentalis, ut ex dictis patet. *Atq; de hac secùs statuunt Calviniani, quàm Orthodoxi: Illi enim talem intelligunt unionem, qualis est signi & signati: Nos verò veram & rationi humanæ incomprehensibilem unionem panis benedicti & corporis CHRISTI, sicut ea in verbis Cœnæ est instituta, ita ut datò pane & vinò benedictionis, simul detur & accipiatur cum illis sacris symbolis, verum & substantiale corpus, nec non verus & substantialis sanguis Jesu CHRISTI, unâ, ut diximus, & indistinctâ manducatione verè præsentia ἡνωμένως ἢ ὑποκρίτως.*

LXI. Quare in doctrinâ Calvinianorum de unione sacramentali multa desideramus. *I.* Quòd, etsi multum verbis negant, tamen ex eâ sequitur, panem & vinum sacrae Cœnæ, nuda signa corporis & sanguinis Christi esse. Docent enim *panem accipere tantum nomen procul absentis corporis Christi.* *II.* Quòd, etsi multum de vi & efficacîâ corporis Christi dicunt: tamen hoc non satis est: quia verba institutionis non de vi & efficacîâ; sed de ipsomet, & corpore & sanguine Christi loquuntur. *III.* Quòd suâ doctrinâ homines à sacra Cœnâ in supremum cœlum abducunt, cum in externâ Ecclesiæ congregatione hoc sacrum peragitur. *IV.* Quòd contendunt solam fidem perfrui corpore Christi, procul à nobis absente: Os verò nostrum præter sacra symbola nihil accipere: cum tamen Christus manifestè pronunciet: *Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, &c.*

LXII. Atq; ex his eliciuntur hæc inter nostram sententiam & ipsorum opinionem de unione sacramentali discrimina. *I.* Nos secundum verba institutionis docemus, cum pane & vinò verè dari & exhiberi corpus & sanguinem Christi: Ipsi substantiam corporis & sanguinis ejus è sacra Cœnâ & symbolis procul abesse,

esse,

esse, & in supremo cœlo residere affirmant. *II.* Nos utrumque docemus, & vim seu efficaciam corporis & sanguinis Christi, & ipsum corpus & sanguinem cum sacris symbolis exhiberi: isti verò ipsam duntaxat efficaciam dari perhibent. *III.* Ipsi docent, ideò in Cœnâ requiri fidem, ut à terris in cœlum se elevans, corpus Christi, à dextris Dei Patris sedens, percipiat: nos fidem verbis Institutionis Cœnæ, quæ in terris celebratur, niti debere, docemus & statuimus: quòd verè cum sacris signis nobis exhibetur corpus & sanguis Christi. *IV.* Nos secundùm verba Christi duplicem damus manducationem: spiritualem & sacramentalem: Ipsi contrâ spirituales tantùm, & sacramentalem nudâ symbolorum perceptione definiunt: cùm tamen Sacramentum duabus rebus constet, terrenâ & cœlesti, ut abundè est demonstratum. *V.* Nos docemus, naturam fidei non esse, ut ab actione Cœnæ, in terris celebratâ, mentem in cœlum avocet, sed ut verbis institutionis nixa in ipsis solidè quiescat, quoad substantiam & fructum Cœnæ. Quia *Deut. 30. & Rom. 10.* non jubemur cœlorum secreta rimari, sed remittimur ad verbum Dei, quod propè est. Hinc judicet verè Christianus, quorum sententia sit vera, & cui ad stipulari debeat, memor illius Christi, *Joh. 8. vers. 31. Si manseritis in sermonibus meis, verè discipuli mei eritis.*

QUÆSTIO XI.

An sit una eademq; communicatio & participatio corporis & sanguinis Christi in Sacrà Cœnâ & Baptismo.

LXIII. Decimò, Calviniani contendunt, unam eandemq; communicationem & participationem esse corporis & sanguinis Christi in Sacrà Cœnâ & Baptismò. Ubi rursus secus docent, quàm Lutherani: qui illud pernegant. Obstant enim errori Calvinico sequentes rationes. *I.* Quòd communicatio & participatio corporis & sanguinis Christi propriè est sigillum Testamenti hujus Novi Fœderis, quòd in hoc Sacramētò sanxit Christus, non in Baptismò. *II.* Quòd verba illa: *Comedite; hoc est corpus meum; bibite; hic est sanguis meus,* de Baptismò propriè accipi

accipi non possunt: quia solius Cœnæ propria sunt & non Baptismi. III. Si una eademq; esset communicatio & participatio in utroque Sacramento; verba illa: *comedite, bibite*, figuratè essent accipienda, neq; etiam Elementis, pane & vinò, à Christo institutis, opus esset. Sicut ergò verba Baptismi ad Cœnam propriè accommodari non possunt: Ita contra quoq; verba formalia Cœnæ propriè ad ritum Baptismi referri nequeunt. Non enim eadem, sed distincta sunt.

QUÆSTIO XII.

An digni sint credentes, sive firmi, sive infirmi: indigni verò soli increduli.

LXIV. Undecimò, cùm etiam inter nos & Calvinianos controversum sit, an indigni sacramentaliter fiant participes corporis & sanguinis Christi: quæritur, *quinam sint digni, qui indigni, & ita dicendi.* Sunt n. inter Calvinianos, qui & de his secus docent, quàm Lutherani. Quandoquidem lux veritatis nonnullis Cinglianis ita perstringit oculos, ut in mediâ luce cæcutire incipiant, instar vespertilionum. Non enim amplius vident Indignorum definitionem in Concordiâ Wittenbergensi, eorum scilicet, qui sine verâ pœnitentiâ & fide manducant. Neque agnoscunt hodie Calvinii, Marlorati, Andreae Hyperii & aliorum prædecessorum explicationes, qui dignos sacri convivii hospites fide; indignos verò incredulitate metiuntur & definiunt. Pertæsi quoque sunt definitionis Paulinæ, quâ indigni finiuntur illi, qui se ipsos non probant, & sibi-ipsis comedunt & bibunt iudicium.

LXV. Errant, inquit Johannes Piscator in I. Cor. II. v. 17. qui putant Paulum loqui de infidelibus. Is verò loquitur de fidelibus, sed qui indignè hoc est, irreverenter Cœnam Domini percipiunt, ἀναξίως, hoc est, secus ac dignum est tam sanctò mysteriò. Et ne segniter aut obiter indignorum patrociniū suscepisse videantur, (quam patrociniū Indignorum notam nobis hæctenus, sed præter rem, inurere voluerunt) etiam panem indignæ manducationis ita jam mitigant, ut reatum iudicii, non de reatu mortis & damnationis, de quo Apostolus illam intelligit, interpretentur; sed tantum

tum

tum de pœnis corporalibus seu de duriore castigatione infirmorum in hac vitâ.

LXVI. Error hic est crassissimus & pestilentissimus. Nemo enim verâ fide in Christum præditus, quantumvis infirmâ, indignus est Christi hospes. Imò infirmis paratum & instructum est hoc sacrum convivium secundum dicta Matth. 5. v. 6. *Beati esurientes & sitientes justitiam.* Matth. 9. v. 12. *Sani non opus habent Medicò, sed egroti.* Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes.* Item Esa. 55. v. 1. *Omnes sitientes venite ad aquam, comparate vobis lac &c.* Adde & hoc argumentum: Si in fidei infirmitate consistit indignitas, perit principalis & proprius finis sacræ Cœnæ. Inservit enim illa fidei confirmandæ. Quocirca planè ἀλογον est & absurdum, indignos vocare eos, qui fidei suæ firmitatem quærunt in sacrâ Cœnâ.

LXVII. Inquis, *novos illos Dipnosophistas, indignitatem dicere oscitantiam & incuriam hominum alioquin fidelium.* Facere enim duplicem dignitatem, unam, quæ sit fidei vel infidelitatis; alteram, quæ sit tractationis: asserereq; fideles posse peccare & sæpè peccare hoc genere negligentia & securitatis. Et licet salus eorum non fiat irrita, tamen in hac vitâ duriter castigari. Dignitatem ergò personæ & vitationem pœnæ æternæ in solâ fide consistere. Dignitatem autem tractationis Dominicæ Cœnæ & vitationem pœnæ temporalis requirere etiam veram reverentiam corporis Domini, non tantum externam. Proinde loqui hosce adversarios de indignitate huic, non illi dignitati oppositâ, quæ etiam in fideles sæpius cadat.

LXIX. At nugas vendunt hi Sophistæ: à fide ad propria opera dilabuntur, in iisq; dignitatem suam quærunt. Dubitationum laqueos pavidis cōscientiis injiciunt, animas terrent, quas Christus corpore & sanguine suo recreatas, erectas & refectas cupit. Omne namq; desiderium erga hoc sacramentum extinguitur in infirmis, si ex illo hæreticò & plenò desperationis dogmate, metuendum eis sit, quod propter fidei suæ infirmitatem vel oscitantiam, iudicium sibi sumturi sint. Quin hac ratione ne Apostoli quidem dignè manducasse & bibisse censendi fuerint: qui si profunde vel mysterii hujus altitudinem, vel beneficii magnitudi-

ordinem expendissent; certè nec de primatu in ultimâ Cœnâ litigassent, nec turpi fugâ Dominum Jesum eâ ipsâ nocte deseruissent.

LXIX. Apostolus Paulus dignorum & indignorum differentiam à Christo traditam disertè docet non esse in parte institutionis, continente substantiam Sacramenti, sed in his verbis: *Hoc facite in mei commemorationem*. Ubi summus consensus est, istis verbis postulari fidem in Christum, pro nobis passum & mortuum. Fides ergò hæc discriminis illius nota est. Dignorum autem & indignorum oppositio est contrariorum: quorum medium in scripturâ non datur. Aut ergò credentes & non credentes definiat dignos & indignos, aut medium horum oppositorum demonstrandum erit, idq; verbis textus contentum. Etsi autem firmi sunt & infirmi credentium, singuli tamen credentium classe comprehenduntur, neque infirmi non-credentibus aggregantur, ut demonstratum in præcedentibus, & insuper inde patet: quòd si dignitatis ratio æstimata fuerit, illa nec à firmitate fidei pendet, neque ad gradus hujus vel incrementa vel decrementa cedit; sed sicut fides, non ut qualitas & opus, verum correlativè per & propter Christum apprehensum justificat, & justificando dignos reddit: ita quoque dignitas ad firmitatem & infirmitatem fidei, quæ qualitativè existit, non est affirmanda vel neganda, neque rei gradus inde erunt, unde res ipsa non constituitur.

LXX. Patet igitur, quod firmitas & infirmitas fidei, oppositionem dignorum & indignorum non reddat mediatam & quidem dignitatis respectu, firmitatis vel infirmitatis æstinatio nulla est. Quocirca graviter peccant & principales doctrinæ Christianæ partes destruunt illi Cingliani, qui dignos & indignos firmitate & infirmitate distinguunt. Neq; enim in fundamento distinctionis horum graduum ratio innuitur. digni ergò sunt, commemorantes illam mortem, indigni verò sunt non commemorantes. Non enim graduum commemorationis ullum fit indicium. Expendatur enim indignorum censura in iudicio Dei. *Qui enim indignè manducant & bibunt, rei sunt corporis & sanguinis Christi, item iudicium sibi manducant & bibunt. De credentibus autem dicitur, Joh. 1. v. 12. Quot quot exceperunt eum*

eum

enim &c. Item Joh. 3. v. 18. *Qui credit non venit in iudicium.* Joh. 8. v. 37. *Quicquid mihi dat Pater, ad me venit.* Hic sanè nullo modo locus erit exceptioni & distinctioni firmitatis & infirmitatis fidei. *Marc. 9.* Pater obsessi petens, ut si Christus possit, commotus succurrat filio; hoc aufert responsi, *si potes hoc credere.* Pater verò pueri statim clamans, cum lacrymis dixit: *credo Domine, succurre incredulitati meae.* His dictis, Jesus Spiritum objurgavit & ei imperavit, ut egrederetur nec amplius ingrederetur in eum. Hæc historia infirmos in fide credentibus annumerans; quibus omnia sunt possibilia, iisdem infirmis misericordiam CHRISTI largissimè probans, vetat imbecillis fidei homines, tanquam reos corporis & sanguinis Christi statuere, & condemnationi subijcere.

LXXI. Sic Paulus *ad Rom. 14. v. 3.* disertè loquitur: *Deum infirmum in fide assumpsisse.* Inde concludit, talem non condemnandum esse. Hæc verò omnia tolluntur aut depravantur, si indignos hic dixeris imbecilles in fide. Hic etiam expendatur phrasîs Apostoli: *Probet autem homo se ipsum, &c.* Est autem probare se, idem, quod in se descendere & examinare se: Et quidem probatio ista hunc spectat finem, num aliquis sit dignus convivæ hujus Cœnæ. Dignus verò per se nullus est, nisi præparatus singulariter. Dicit enim Apostolus: *Homo probet se.* Ergo probando, quod homo sit, ad indignitatem suam primò agnoscendam deducitur, cum *omnis homo mendax sit. Psal. 116.* Et *omnes peccatores & careant gloriâ Dei, Rom. 3.* Ideoq; per se indignus quisque est, sub cuius tectum subeat Christus, *Matth. 8.* *Εαυτὸν, inquit, seipsum probet,* ut nimirum se quisque probè excutiat, quò se hominem, & non nisi indignum Deo habeat sui respectu. Hac agnitione & humiliatione, quam Deus per verbum operatur, præparatio inchoatur. Baptista enim missus, ut parer viam Domino, hanc doctrinæ summam illud facit: *Agite penitentiam & credite Evangelio.* Per pœnitentiam igitur DEUS ex indignis dignos facit. Et sicut *se hominem probare,* est de suâ propriâ dignitate nihil præsumere, sed se coram Deo abijcere: ita credere nihil est, nisi mortem CHRISTI, obedientiam & dignitatem hujus solius

folius Salvatoris commemorare & prædicare, ut hæ phra-
ses hoc locò junctæ, nimirum *probet seipsum homo, & meminerit
mortis Domini*, integræ pœnitentiæ descriptionem proponant,
quâ Deus, qui dat resipiscentiam & remissionem peccatorum,
Act. 5. suos convivas ipse præparet, ut digni sint. Quod si verò fir-
mitatis hîc & infirmitatis fidei ratio infartiat, unde dignorum
& indignorum discrimen sit, manifestum est, dignitatem æsti-
matione hominis censerî, in quo fidei robur qualitas est & opus.
Itaque illâ probationis parte non humilitatem sed superbiam
svaderi, & credentem esse, qui sibi etiam fidat, non soli Christo,
& beneficium suæ dignitatis partiatur cum morte Christi, cui
tamen derogabitur, quantum homini arrogabitur. Quo modò
fides in probatione dividetur juxta pœnitentiæ membra, & tam
in priore parte, quæ in homine est cognitio sui ipsius, quàm in
posteriore, quæ Christum æstimat, constituetur. Tantò verò di-
gnior erit & firmior fide, quantò plus Christo subtraxerit, quod
sibi sumat; infirmus autem tantò indignior, quantò sibi minùs,
Christo verò plus tribuerit: hoc est, evertetur totus Christiani-
smus, & dignissimus non tam ex Christo, quàm ex se appellandus
erit. Contrà verò, cum fides Christiana dignitatem nostram,
Deo probatam, tantum ex morte seu traditione & meritò Chri-
sti, remissione peccatorum, & imputatione justitiæ, in nos re-
dundare profiteatur, & partitionem illam non recipiat; ut Pau-
lus *Rom. 11.* positus sic operibus nostris gratiam perimi ac tolli di-
cat; sanè indignissimè ille censebitur firmissimus in fide, qui fir-
mitatis, hoc est, qualitatis & operis sui æstimatione dignitatem
Christo detractam sibi suffuratur. Cùm etiam perfectio fidei,
quæ nihil infirmitatis habeat, nulli sanctorum, in Ecclesiâ Chri-
sti militanti, unquam concessa sit, dignus conviva nullus expe-
ctandus esset, cum in hac tantum vitâ Cœna hæc usurpanda,
Christo autem ad iudicium comparente, cessatura sit. Vana itaq;
& maximè impia, atque in Christum Salvatorem blasphema est
opinio Piscatoris & aliorum Grynæum sequentium, qui dignos
firmitate, indignos infirmitate fidei definiunt & discernunt. Op-
ponimus etiam ipsis Calvinum, qui ad verba Pauli (*probet seipsum
homo*) ita adscripsit: *Neg, verò perfecta aut fides aut pœnitentia re-*
quiri-

quiritur, sicut quidem perfectionem, quae nusquam reperiri potest, nimium urgendo, universos mortales in perpetuum à Cœnâ arcent. Verum si serio animi affectu ad Dei justiciam aspiras, & miseriae tuae agnitione humiliatus, totus in Christi gratiâ recumbis & acquiescis, scito te dignum convivam, qui ad hanc mensam accedas. Dignum intelligo, quem Dominus non excludit, etiamsi alioquin omnibus in te desideretur. Fides enim etiam inchoata ex indignis facit dignos. Adhuc Calvinus.

LXXII. Sunt igitur indigni, non infirmi in fide, pusillanimes & anxii Christiani, quippe qui, dum magnitudinem & multitudinem peccatorum suorum secum reputant, cohorrescunt, & ingentem immundiciem suam considerantes, hoc preciosissimò quidem thesaurò & beneficiis Christi indignos sese judicant, nihilominus quia infirmitatem fidei suae sentientes & agnoscentes, eam deplorant, & nihil magis in votis habent, quam ut Domino Deo firmiore, alacriore & constantiore fide & puriore obedientiâ servire possint; proindeq; sitiunt justitiam & famelicas adferunt animas; utique illis imprimis recreandis paratum est hoc sacrum convivium & augustissimum Sacramentum: quòd *validi non opus habeant Medico*, Matth. 9. Et hanc ob causam Christus illos humanissimè invitat, ibid. cap. 11. *Venite ad me omnes, &c.* Et Esa. 55. *omnes sitientes &c.* Breviter, qui corde contritò & humiliatò, & in fide, bonâq; conscientia & proposito piò peccata deinceps per Dei gratiam fugiendi, accedunt, illi sunt digni convivæ sacri hujus epuli.

LXXIII. Hi sunt, qui juxta Pauli præceptum se ipsos probant. *I.* Quando considerant, qualis sit hujus Cœnæ actio, quis ibi sit præsens, qualis cibus ac potus ibi exhibeatur & sumatur, ut ad ejus sumtionem mens debitâ humilitate & devotâ pietate sit parata. *II.* Quando ad hanc mensam Dominicam tale adferunt cor, quod peccata sua serio agnoscit, & magnitudinem iræ DEI adversus peccata exhorrescit, nec retinet delectationem aut propositum peccandi, sed in verâ pœnitentiâ serium emendationis propositum concipit. *III.* Quando non sunt corde securò, sed sollicitè cogitant, ne sub irâ DEI propter peccata in æternum pereant, & toto pectore desiderant, & quærunt gratiam

gratiam DEI & remissionem peccatorum, ac salutem in solius
CHRISTI meritis.

LXXIV. Contrà verò indigni sunt. *I.* Qui non dijudi-
cant corpus CHRISTI, hoc est, qui cibum hujus Cœnæ non sen-
tiunt esse corpus & sanguinem CHRISTI, sed illum tractant &
usurpant non majore reverentiâ & devotione, quàm alias epu-
las. Ad quam profanitatem, hoc deploratissimò seculo augen-
dam, non parùm subsidii ferunt *μυστηριομάχοι*. *II.* Qui sine
pœnitentiâ in peccatis perseverant, & retinent propositum
peccandi. *III.* Qui sine verâ fide ad sacram Domini Cœ-
nam accedunt, & alibi, quàm in solo Christi merito gratiam
Dei, remissionem peccatorum & æternam salutem quærunt,
vel qui in Epicureâ securitate defixi, nullo verò desiderio hujus
sacri Convivii tanguuntur, & non esutiunt, aut sitiunt justitiam.
Ad summam! Impœnitentes, hypocritæ, Epicurei, verâ fide &
proposito emendandi vitam ac mores carentes, in externâ ta-
men societate veræ Ecclesiæ ejusq; membris admixti, isti sunt
indigni convivæ hujus sacrosancti convivii. Uti id pluribus de-
clarabitur & demonstrabitur in subsequente quæstione.

QUÆSTIO XIII.

An indigni, hoc est, impœnitentes, hypocritæ, Epicurei,
& verâ fide ac propositò emendandæ vitæ caren-
tes, recipiant corpus & sanguinem Christi
in hac S. Cœnâ.

LXXV. *Duodecimò seculis docent Calviniani, ut diximus, de
indignis, ut à nobis jam definiti sunt, quàm Lutherani. Illi enim
à pane & vinò, benedictis elementis hujus Sacramenti, veri corpo-
ris & sanguinis realem presentiam sequestrantes, non possunt non
asserere, indignorum ac infidelium κοινωνίαν & μετοχήν seu partici-
pationem ad realem sumtionem corporis & sanguinis Christi non per-
tinere.* Contrà nostra est sententia: Quamvis magnâ dili-
gentiâ cavendum sit, ne indigni ad hujus mysterii participa-
tionem admittantur, ne judicium sibi accipiant & majorem
contrahant reatum: tamen quia cum tritico & bono Domini
semine, multa zizania sunt permixta, & hypocritæ externâ
specie

specie pietatis imponunt Ecclesiæ; idcirco ipsi quoque ad hoc sacrum convivium accedunt & integrum Sacramentum, & sic etiam ipsum corpus & sanguinem Domini, accipiunt, sed ad iudicium: quod in resipiscentibus est temporale; impænitentibus verò æternum, juxta clarissima verba Apostoli, quibus longè tutius, quàm Adversariorum sophisticationibus fidere possumus.

LXXVI. Probatur autem hæc etiam indignorum manducatio & demonstratur contra istos impostores evidentissimis rationibus. Primum: Quia substantia Sacramenti non à fide sumentis, sed à veritate instituentis dependet, cujus fides nostrâ infidelitate non evacuatur: quin potius sit Deus verax, omnis homo mendax, & si nos negamus, ipse fidelis manet, negare, se ipsum non potest. *Rom. 1.*

LXXVII. Quare secundò differentia dignorum & indignorum, seu fidelium & infidelium participantium hanc mensam, ex tabulis institutionis hujus Cœnæ petenda est, & illà in parte minimè statuenda, ubi Christus discrimen nullum facit, sed potius communionem: Ast ubi de perceptione Sacramentali, hoc est, de manducatione panis, qui est corpus Christi, & de bibitione vini, quod est sanguis, in institutione agitur, nullum à Christo editum est differentia indicium, sed omnibus communicantibus eadem ratio percipiendi delata & attributa: Ergò religiosâ observatione institutionis Christi prohibemur differentiam in loco isto instituere.

LXXVIII. Quòd verò tertio, digni & indigni perceptione Sacramentali adeò non discernantur, ut etiam eadem conveniant & participant pariter, illud manifestum est, cum Christus unâ tantum formâ loquendi utatur; & non solum Johannes & cæteri digni Apostoli, sed etiam Judas, in quem Satanâ intrarat, Cœnam illam sumserit.

LXXIX. Qui hic negant Judam ad hanc Cœnam admissum fuisse, & evincere laborant, quòd, antequàm ea inchoaretur, disruptur, illi nostræ probationis verum firmant. Nam unam illi perceptionem Sacramentalem, nullamq; hujus distinctionem in dictis verbis CHRISTI contineri cognoscunt: cum aliàs inde

Judam non segregent, in cæteris verò dignorum ac indignorum rationem non reperiant. Deinde possunt urgeri intentione Christi: quòd Cœnam instituens, non præsentium duntaxat habuit rationem, sed qualem illam semper in suâ Ecclesiâ celebrari ac haberi vellet, ordinavit. In Ecclesiâ autem mixtam communionem agnovit, & usque ad finem mundi talem futuram prædixit ipse *Matth. 13.* Saltem ergò posterorum ratione mentio discriminis in descriptione perceptionis sacramentalis facienda fuisset, etsi ex discipulis tunc indignus nullus fuisset conviva. Sanè Apostolus quoque Paulus, qui post ascensionem Christi, ab hoc repetitam accepit institutionem in tertium cœlum raptus, nihil in istâ parte immutatum agnovit: Sed potius ipse etiam ad promiscuum cœtum communicantium eandem repetens, etsi in hoc indignorum sortem tum singulariter æstimare constituerit; nihil tamen discriminis inferit dicto loco, qui de Sacramentali agit perceptione. Ergò quòd de absentia Judæ objicitur, etsi sine controversiâ constaret, quòd tamen ne veteres quidem patres omnes concedent, ut modò demonstrabimus; nihil tamen prodest ad infirmandum hoc argumentum, quòd Christus ad dignos & indignos eadem formâ verborum, perceptionem sacramentalem definiendum, usus sit.

XXC. Omnino autem hoc sermone perceptio corporis & sanguinis Christi asseritur: *Accipite, comedite, hoc, nempe panis benedictus, est corpus meum.* Item: *bibite hoc, nempe vinum benedictum, est sanguis meus.* Quandoquidem sermone isto jusfit Dominus panem comedere, corpus suum: & bibere vinum, sanguinem suum: neque hic ulla est violenta explicatio, sed talis, quam ipsa verba per se largiuntur: id quòd neque adversarii diffiteri possunt, dum fatentur, corpus Christi comedi, & sanguinem Christi bibi sacramentaliter, hoc est, *signotenus*, ut ipsi volunt. Hòc verò modò largiuntur in genere, quòd nostræ sententiæ multum commodat. Eâ enim ratione dicunt, corpus Christi cum pane, & sanguinem ejus cum vinò S. Cœnæ, comedi & bibi, quâ ratione res signatæ signis junguntur. Nisi ergò, quæ de sacramentali unione panis &
corpo-

corporis, vini item & sanguinis Christi docuimus, nec non realem signatorum cum signis præsentiam, à nobis hætenus verissimè assertam, rationibus verioribus, atque hætenus factum est, negaverint, (quod verò illis impossibile est,) utique coguntur realem participationem corporis & sanguinis Christi, in orali manducatione & bibitione panis ac vini sacræ Cœnæ admittere: cùm ad modum unionis sacramentalis perceptionem sacramentalem corporis & sanguinis CHRISTI reducant ipsi.

XXCI. Sed ut ad exemplum Judæ revertamur: sunt quidam ex Calvinianis, qui negare audent, vel omninò dubitant, ipsum ultimæ Cœnæ interfuisse. Verùm id faciunt sine ullâ causâ aut ratione. Testatur enim id Lucas *cap. 22. v. 21.* Ubi verbis institutionis statim adduntur hæc Christi verba: *Veruntamen ecce, manus prodeus me mecum est in mensâ, &c.* Et id ipsum colligi potest *ex 13. cap. Johann. vers. 23. 4.* Neque Matthæus & Marcus ullam mentionem faciunt discessus Judæ statim post esum Agni paschalis, sed institutionem Cœnæ convivio paschali continuâ narrationis serie annectunt: Unde rectè colligimus, eam in præsentia omnium discipulorum factam esse. Imò & calculi ratio hoc probat. Scribit enim Lucas *cap. 22.* *Cùm igitur adesset illud tempus, accubuit, & DUODECIM (non undecim) Apostoli cum eo.* Testantur insuper hoc ipsi Patres orthodoxi. Augustinus lib. 5. contra Donat. cap. 8. *Sicut Judas, inquit, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit: Sic indignè quisquis sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & Sanguis Domini nihilominus etiam erat illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducaverit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Sic Theodor. *1. Cor. 11.* non solùm undecim Apostolis, sed etiam Judæ proditori preciosum corpus & sanguinem impertiit.

QUÆSTIO XIV.

Quo loco & tempore sacramentum Eucharistiæ sit celebrandum,

XXCII. *Decimo tertio ad actionem sacramentalem etiam circumstantiæ sunt referendæ, loci, temporis, item subjecti, in quo fiat administratio. Circumstantiam ergo loci quod attinet, de eâ etiam secus docent Calviniani, quàm Lutherani, quando scriptitant, cum institutione Christi pugnare, si in privatis ædibus Cæna porrigatur egrotis, cessante à Cæne administratione Ecclesiâ publicâ: Cùm interim CHRISTUS primam Cænam non instituit in locò publico, nempe templo Hierosolymitano, etiamsi esset Hierosolymis: sed in diversorii palatiò, lapidibus stratò, quod sibi in usum celebrationis Agni paschalis conduxerat. Et si Cæna Domini ita merè Ecclesiastica actio est, ut non nisi locò, publicis conventibus dicatò, illam celebrari fas sit: I. Cur Christus primam Cænam celebravit in diversoriò, ut diximus? II. Cur non expressè interdixit dispensationem illius in privatis ædibus? III. An verò in ædibus privatis nulla est Ecclesia? Annon ubi duo aut tres congregati sunt in nomine Christi, in mediò illorum est? Annon privatas etiam familias Christianorum Paulus expressâ voce nominat Ecclesias, Roman. 16. Et ad Philemonem? IV. An Deus sua Sacramenta his externis circumstantiis vel multitudinis vel loci ita alligavit, ut ne tum quidem, cùm maximè indigus est homo, possit hujus Sacramenti compos fieri, ob solam & egenam hanc externi loci & multitudinis circumstantiam? V. Num illud confirmandæ fidei medium, ægroto necessarium, cedere debet circumstantiæ non-necessariæ? VI. Cur non pari modo communicatio Verbi, quæ ad ægrotum fit, è privatis ædibus profligatur & ad solos publicos conventus remittitur?*

XXCIII. *Quare hoc tenendum est hac in parte, circumstantias loci & temporis in Novo Testamento libertati Christianæ subjectas & ratione conscientiæ planè liberatas esse.*

Et mi-

Et mirum est, quod hanc libertatem Calviniani agnoscant in
circumstantiâ temporis: & adeo urgeant circumstantiam loci.
Cum hujus necessitas probabiliore ratione niti & stabiliri pos-
se videatur, quam illius. Quandoquidem I. CHRISTUS
Sacramentum hoc vespertinô tempore instituit: unde non
nisi vesperi celebrandum videtur. II. Et tempus ipsum
arguere videtur hanc temporis circumstantiam, ut observatum
necessarium. Alias enim si administratur hoc Sacramentum
mane aut tempore prandii vel sub meridiem, non jam erit pro
Cœnâ, sed pro jentaculo aut prandio habendum.

XXCIV. Verum hæ rationes illos non movent, sed nos
biscum agnoscunt primam Cœnam ideo voluisse Dominum
sub imminentem noctem celebrare, non ut nobis neces-
sariam temporis ejusmodi imponeret, sed quia illa Agni pas-
schalis ceremoniam non antecedere, sed subsequi debuit; ut
ritus, qui fuit umbra, novo succedente, qui lucis & corporis
instar erat, abrogaretur. Nam si post Sacra Cœnæ institu-
tionem demum cum discipulis suis Pascha celebrasset Domi-
nus, non abrogasse, sed imposterum quoque illud observan-
dum commendasse videri potuisset. Quia verò Paschalis
Agnus non nisi sub imminentem noctem ex præscripto legis
manducari debuit: necessario differenda fuit institutio Cœnæ
usque ad tempus finiti vetusti illius ritus. Quæ verò caus-
sa, quia, abrogato hoc sacro, locum amplius non habet: nec
Christus ad certum tempus hujus Sacramenti celebrationem
alligavit, sed Christianæ libertati reliquit, ita tamen ut, juxta
Pauli subjectionem, omnia fiant *εὐχημόνως καὶ κατὰ τὸ ἔθος*.
Sive itaque matutinô, sive pomeridianô tempore hoc myste-
rium dispensetur, nihilominus tamen Cœna dicitur & fit hoc
ob commemoratam circumstantiam primæ Cœnæ: quæ nunc
est ἀδιαφοροῦς; sicut Agni paschalis esus Phasæ dicebatur, licet
amplius non transfiret Angelus percussor.

XXCV. Hoc nobiscum agnoscunt Calviniani, ac propter-
eâ circumstantiam temporis, à Christo observatam, non urgent,
rationes verò pro circumstantiâ loci, & quod in privatis ædi-
bus

bus ægrotis Cœna dari possit, non perpendunt, neq; etiam consuetudinem primitivæ Ecclesiæ. Quandoquidem historia Ecclesiastica testatur, primitivam Ecclesiam in more habuisse, ut Sacramentum corporis & sanguinis Domini dispensaret ægrotis in privatis ædibus.

QUÆSTIO XV.

Quid de altaribus censendum?

XXCVI. Tandem subjectum, in quo administratur apud nos sacra Cœna, sunt *altaria*: De quibus etiam secus docent Calviniani, quàm nostræ Ecclesiæ. Putant enim *non fas esse, ut in illis Cœna administretur, quòd idolomaniâ Missæ Pontificiæ impium in modum sint profanata & in locum illorum substituendas esse mensas*. Verùm regerimus, quòd abusus non tollat rem, sive rei substantiam, alioquin non aræ tantum, sed ipsa quoque templa destruenda essent, neque reditus Ecclesiastici attingendi, quos impijs suis sacris Pontificij corraserunt: cum tamen Magistratus tanquam spolia Ægyptiaca ad ministerij & pauperum sustentationem rectè illos adhibeat.

XXCVII. Ac quamvis non diffitemur, in altarium locum mensas substitui posse; tamen quia hanc rem tanquam necessariam urgent adversarii, libertas Christiana non fert, ut ex re prorsus indifferente patiamur legem conscientijs imponi: sed sciendum, omnes circumstantias, quæ non evertunt sacra Cœnæ substantiam, prorsus liberæ esse, & ita subjectas ordinationi Ecclesiæ, ut de illis pro arbitriò statuere possit,

modò rursus omnia fiant *εὐχρημόνως*

καὶ κατὰ τάξιν.

Δ. Γ. Θ.



Coll. diss. A. 198, 8